


17


EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.
VITEBERG.


IC 187.


SIGNAT. MDCCCXIII.











VINDICIÆ 172.

TERTII GENERIS
COMMUNICATIO-
NIS,

*Adversus sophisticationes Johannis
Combachij Theologiae & Philo-
sophiae Professoris ordinarij in
Academia Cassellana,*

Ex solidioribus Philosophiæ Naturalis fun-
damentis deductæ, ac lucu-
lenter expositæ,

A

M. GEORGIO BACHIO
Gymnasiarcha,

ARGENTORATI

Typis, JOHANNIS ANDREÆ
M. DC. XLI.

11

UNIVERSITÄT

LECTOR BENEDICTUS

LECTOR BENEDICTUS

2. P. P.

Magister Johannes

Magister Johannes

Magister Johannes

Magister Johannes

Magister Johannes

Magister Johannes

Magister Johannes

Magister Johannes

Magister Johannes

Magister Johannes





LECTORI BENEVOLO.

S. P. D,

M. GEORGIUS BACHIUS.



Ationem sine *fide* in
Theologia, sine *experientia* in
Philosophia gravissime erra-
re, præter ceteras, unica de
communicatione priorũ
controversia maxime docet.

Docet Theologia e *Scriptura* Naturam Na-
turæ, scilicet divinam humanæ per unio-
nem personalem in $\lambda\acute{o}\gamma\omega$, perque sessionem
ad dextram æterni patris infinita sua com-
municasse idiomata. Ostendit Philosophia
e *Natura* partem parti, nempe animam cor-
pori propter arctissimam syndyasin, ac inti-
mam perichoresin naturales suas in compo-
sito largiri vires atque potentias. Illud si,
quod religio præcipit, simplici fide, hoc so-
lida experientia acceptat ratio, extra omne

A 2

error.

erroris versabitur periculum. Quod si vero
 sprete *fide & experientia*, certissimis ad cœ-
 lestem veritatem ducibus, suis confisa judi-
 ciis utriusque scrutetur mysteria, in atroces
 incidere errores necesse habet. e quibus cum
 se emergere legitimis destituta præsijs non
 valeat, sophistices sollicitare ac usurpare ar-
 tes cogitur: *nefandas inficias, falsas hypotheses,*
rationes mendaces, detorta prave interpreta-
menta, fœdas contradictiones, denique pertina-
ciam, ultimum ambitiosæ sophistices telum. Hu-
 jus rei in præsentia controversia manifestum
 habemus exemplum in Johanne Comba-
 chio calviniani dogmatis nostra ætate præci-
 puo propugnatore. Hic dum more gentis
 suæ, Scripturæ fidem, Naturæ experientiam
 detrahit, sophistico adoritur veritatem ap-
 paratu: & initio *tertium hoc communicationis*
genus purum putum humani cerebri idolum
absque fundamento vel Scriptura, vel sana ra-
tionis introductum calumniatur. deinde falsas
hypotheses, quibus fulciatur inficiatio, extru-
it: propria e subiecto in subiectum migrare: com-
municatum omne in participante primo, essen-
tialiter ac formaliter inherere: facultates ab
anima quidem, at non in anima inesse. Hypo-
 thesibus

thesibus imponit *Ψευδομένως λόγος*: *communicationem inferre non modo duas, unde orientur, primas causas, sed & duo, quibus inhereant, prima subiecta.* malitiose interpretatur, contra inviolabiles tum fidei, tum experientiae leges: *naturam divinam sua toti personae conferre idiomata, nequaquam humane naturae; animam composito facultates communicare, nequam corpori; ignem supposito dare, nullatenus ferro urendi vim, lucendique.* Cuncta adeo contrarijs inter se, ac diversis rebus, ut plus secum ipse, quam nobiscum depugnet Adversarius. quippe cum (ut alia nunc praetermittamus) *vitales cum Scoto inseparabiles, cum Thoma ab anima separabiles contendat facultates, absurde easdem inesse & non inesse animae* statuit. Verum enim vero quam omnes Adversarius ad labefactandam huius tertij communicationis generis constantiam machinas admoliatur, integra tamen penitus illa & inconcussa persistit. Etenim quod ad divinorum idiomatum pertinet communicationem, est ea expressa Scripturae sacrae thesis, usque adeo solide fundata, firmiter munita, fortiter vindicata, ut ne inferorum quidem opes universae subruere

illam valeant. Neque minus largitionis naturalium proprietatum exempla, quibus Orthodoxa pietas profundissimum gloriosæ communicationis mysterium illustrare hactenus consuevit, immota perstant ac constantissima, licet isthæc adversaria natio, & in primis Combachius passim in scriptis philosophicis, præcipue autem eo libro quem de *communicatione idiomatum* superiore edidit anno 1639. ingenti furore oppugnet, atq; e sedibus naturæ funditus eruere elaboret. Verum quam vanus hic ejus furor, ac vesana sit molitio, e præsentī constabit luculenter *discursu*, in quo divexatæ *communicationis exempla* a sophisticis liberata artibus, veris & solidis constare fundamentis demonstratur. Causa dicta est, æquissime Lector, instituti discursus: eam ne sinisterius interpretaris, operæve impensæ invidias, etiam atque etiam rogo. Vale.

Con-

Controversiæ constitutio.

Duo potissimum, tanquam solidissimam totius *discursus* hujus atque disputationis fundamenta præstruenda nobis, præcipienda lectoribus videntur. *primum* disputari hoc loco de ea *communicatione*, qua *natura natura, pars parti, ob arctissimam unionem, Syndyasin & perichoresin suas naturales ac essentielles proprietates communicet*: nullo modo de *communicatione*, qua *genus speciebus*, superius inferioribus sua tribuat propria: nulla ratione de *communicatione extrinseca & effectiva*, qua agens in alio simile quid ejusdem speciei producat: nullo pacto de *communicatione*, qua *forma formalem effectum* in materia, vel composito edat. Hoc nobis Combachius ad statum controversiæ tenendum præcipit lib. de com. propr. c. 4 c. 13.

Alterum, quod in hac physica disputatione prænotandum, est id, ut sciatur, *rem aliquam esse præcise proprium alicujus, quatenus ab eo effective, & in eo primo & subiective*, atque adeo ἀχωριστῶς est: minime autem quatenus ab eo effective, in alio a se distincto inhaesive. quo respectu *proprietas a forma tanquam a causa efficiente, sed non in forma*

1.
Communi-
catio
κατὰ συν-
δύασιν

2.
proprium
a causa &
in causa.
h. c. ab eo-
dem & in
eodem.

ma subiective existens philosophica ac-
curatione non est simpliciter proprietas,
sed effectus. Hoc nos Combachio ad sta-
tum controversiæ integrandum inculca-
mus.

Status.

Hinc integra *controversia* est hæc ipsa:
*Natura nature, pars parti naturales & es-
senciales a se ortas, & in se inherentes com-
municat proprietates.*

partes sta-
tus.

Primum *affirmantem* partem, quæ no-
stra est, aliquot theorematibus demon-
strabimus: *negantem* postea, quæ Adver-
sarij est, certissimis rebus confutabimus.
Sit igitur.

Theorema

I.

Potentia vitales non insunt pri-
mo in corpore, ceu altera & op-
posita parte animati. vel, corpus
altera animati pars non est primum
& immediatum inhæsionis subie-
ctum facultatum vitalium.

Non dissidet a nobis hic Dn. Com-
bachius, quippe qui toto illo libro de
Com. idiôm. præcipue cap. 13. in Anti-
doto c. 15. 16. 17. lib. 4. phys. c. 1. q. 10.
nihil aliud agit, quam ut ostendat, has
potentias

potentias corpori ceu parti, cum ipsi non inhaereant, nequaquam communicari.

Theorema inde praecipue confirmatur, quod omnium consensu corpus non est vitale principium. Jam vero, tam impossibile est, virtutes vitales non-vitali primo ac immediate inesse, quam a non-vitali manare. Hæc enim est peculiaris natura & prærogativa principij vitalis, ut *quæ αὐτῶν ἀπὸ τοῦ πρώτου ἐκείνου ἐκπορεύονται ἐν αὐτῷ* ab eo dimanent, πρώτως in eodem immaneant facultates: & cui primo inhaereant, ab eodem primo fluant. Unum enim idemque ejusmodi potentiarum est & principium, & subiectum primum, quod in corpus cadere neque per physicam veritatem potest, neque per probationem ipsius Combachij, cujus hæc sunt verba ex l. 4. phys. c. 1. q. 10. *hic dico quod corpus ut pars nunquam (scil. primo) sentire & vivere dicatur: nec ergo facultatem sentiendi subjective in se habere potest.*

Theorema

II.

Facultates vitales non insunt primo ac subiective in toto, seu composito. vel, primum & immediatum inhaesionis subiectum vitalium virtutum non est compositum, sive totum. As Vita-

Corpus nō
est vitale
principiū

Potentia
est prima
in corpore
vitali

Animæ
humanæ
potentiæ
vitales tri-
plices.

Potentia
ab anima
insepara-
biles.

Vitales potentiæ triplices sunt. 1. *racionales*, ut intellectus & voluntas. 2. *animales*, velut sensitiva, appetitiva, & locomotiva. 3. *naturales*, ceu animatrix, formatrix, una cum administris, attractrice, segregatrice, collocatrice: nutritrix item, & auctrix, & eæ, quæ his inserviunt. Has omnes non in *composito*, sed in *anima rationali* inesse primo ac subiective, demonstramus.

I. *a quo hæ potentiæ sunt inseparabiles, in eo primo ac subiective insunt. ab anima rationali sunt inseparabiles. ergo in ea primo ac subiective insunt.* Minor probatur. *quæ potentiæ æque immediate ab essentia animæ rationalis per naturalem resultantiam fluunt, ac ipsæ rationales; æque incorporeæ & incorruptibiles sunt, atque ipsæ rationales; illæ ab eadem sunt inseparabiles.* Nam quæ conveniunt in causa inseparabilitatis, & ipsa esse inseparabilia necessum est. dico per *resultantiam*. hæc enim proprium in eodem, a quo manat, inesse primo, efficit; prohibet produci in alio extra se, ac derivari. Atqui *potentiæ naturales & animales æque immediate ab essentia animæ rationalis per naturalem resultantiam fluunt, ac ipsæ rationales; æque incorporeæ & incorruptibiles sunt, ac ipsæ rationales.* E. *potentiæ naturales & anima-*

les

les ab eadem sunt inseparabiles. primum minoris membrum patet. Etenim per naturalem resultantiam ab essentia animæ humanæ fluere, seu dependere facultates, est habere naturalem, necessariam, immediatam atque inseparabilem cum essentia animæ humanæ connexionem. Jam cum sine infinitatis periculo potentiam a potentia fluere impossibile sit, sequitur necessario facultates naturales & animales perinde, ac rationales immediate ab essentia animæ humanæ manare. *alterum* non minus liquet. siquidem ex anima immortalis ac incorruptibili corruptibilis ut non potest potentia oriri, ita nec eidem inesse. secus, ipsa anima corruptibilis & mortalis esset. Idem docet experientissimus Sennertus hyp. 4. c. 6. p. 149. *potentia, inquit, ejusmodi promanant ex ipsa essentia animæ, & sunt ab anima inseparabiles, nec migrant de subiecto in subiectum. &, c. 13. p. 322. omnes tres facultates vegetans, sentiens & rationalis (in homine) immediate ab una anima fluunt. item p. 324. neque anima humana ex corruptibili & incorruptibili, seu substantia, seu facultate componitur: sed facultas sentiens & vegetans in homine æque sunt incorruptibiles, ac rationalis facultas; cum ab eadem anima fluant.* Idem

Resultantia.

Sennertus.

directa
theorem.
probatio.

proprietatum a formis inseparabilitas

Idem in Institut. Medic. l. i. c. 10. p. mihi. 76. docet *potentias non esse separabiles ab anima, cujus sunt potentia. & p. 77. omnes facultates cujuslibet forme, atque in primis anime, emanantes esse proprietates ab ipsius anime essentia propria, & inseparabiles qualitates.* Quod si ergo rationales. v. g. intellectus & voluntas, approbante Combachio, in anima inseparabiliter insunt, inerunt invito etiam naturales atq; animales. Hinc directe pro theoremate argumentor. *Inseparabiles ab anima potentia composito primo ac subiective non insunt. Virtutes naturales & animales sunt inseparabiles ab anima potentia. E. composito primo ac subiective non insunt.* Atque hæc probatio non in anima humana tantum, sed & in aliis plantarum & bestiarum animabus, imo in omnibus rerum formis seu primariis, seu secundariis efficacissima est ac irrefragabilis respectu propriarum facultatum & virium. hæc namque licet corruptibiles sunt, ut ipsæ formæ, non tamen *separabiles a formis*, sed cum formis suis & oriuntur & intereunt, non præcise ad ortum & corruptionem ipsius compositi, nec ulla, (ut id obiter hic attingam) quo nititur unice cum Thoma Combachius, consequentiæ ratio subest huic momento. *hæ potentia*

rentia ad corpus ordinata sunt, ad certa organa corporea determinata sunt; in certis organis corporeis operantur. igitur & ipse corporea sunt, adeoque corruptibiles, & a corpore, corporeisque organis inseparabiles. Certe id si efficeretur, ipsa anima rationalis ab hac imperfectionis labe & conditione immunis nequaquam foret. Ac quæ obsecro consequentia. Operatio animæ, operatio potentia est ac fit in corpore, in organo corporeo. ergo anima, ejusque facultas est ejusdem nature ac conditionis, cujus est ipsum corpus, organumque corporis. ergo talis facultas est separabilis ab anima, inseparabilis a corpore ac organo. Quin ex ipsa Combachij sententia evincitur, facultates primo non inesse composito. quæ vis & facultas in nulla parte physica principali & essentiali est primo ac subiective, ea nec in composito physico erit primo ac subiective. Sed vitalis vis in nulla parte physica principali & essentiali est primo ac subiective. igitur nec in composito physico erit primo ac subiective. minorem agnoscat suam Adversarius. qui in Antid. c. 16. p. 80. non dubitavit asserere, ante conjunctionem nec in anima, nec in corpore vitam esse: post conjunctionem non in anima esse, sed ab anima, quæ adveniens corpori primo informat corpus, & per informationem det esse vitale corpori.

potentiarum a corpore dependentia non facit separabiles eas ab anima.

prima in hæsiō potentiar. nō in Composito, per Combach.

pori. ergo & conclusionem admittat
 necesse est. *majoris* vim physicis stare fun-
 damentis planum faciemus. *Corpus* quod-
 vis naturale constat materia & forma,
 partibus essentialibus. quod licet neque
 materia sit, neque forma, tamen nihil a-
 liud est, quam *essentia ex materia & forma*
composita: scilicet *utrarumque una essen-*
tia per informationem, perfectionem, ac
 communicationem a forma priorum,
 cur in *generatione*, quæ est immediata u-
 triusque, & animæ & corporis, ac indi-
 visibilis a se invicem secundum speciem
 multiplicatio, *anima* immediate unitur
 & *communicatur* in *semine materia*, ut in-
 de resultet compositum, si non imme-
 diate *communicat corpori* ut parti propri-
 as *potentias*? neque enim, ut Adversarii
 adducta arguunt verba, *anima advenit*
corpori forinsecus. hinc quia hominis a-
 nima corpori potentias rationales, intel-
 lectum & voluntatem, non (immediate)
 tribuit, ideo nec composito illæ commu-
 nicantur. Jam si *vis vitalis*, aut *vita*, quam
 de actu primo, & *potentia* accipimus,
 nec in forma, nempe *anima*; nec in ma-
 teria, seu *corpore* inhaeret, quomodo quæ-
 so composito, id est, *corpori* ex utrisque
 concreto *ἁπότως* inhaerebit? cum nihil,
 maxime virium & facultatum vitalium
 subiecti.

Generatio
 ostendit
 communi-
 cationem
 proprio-
 rum.

proprietas
 non inest
 composi-
 to, nisi es-
 sentiali
 parti prius
 inest.

subiective possidere valeat compositum, sive totum, quod idem a componentibus partibus ac principijs non acceperit essentialibus, quippe compositæ substantiæ tales fiunt ac sunt ob simplices, ex quibus componuntur. quare *compositum* tale est, scilicet *præditum vegetandi, sentiendique facultatibus ob animam*, cuius hæ sunt potentiæ propriæ. Omnino inexpugnabile firmamentum est. *proprium*, quod *composito communicatur κατὰ συνδύασιν ab altera natura & parte, prius communicanti natura & parti tanquam primo subiecto inesse oportet*, id enim pars, quod non possidet, dare composito nequit. quapropter si *anima* communicat suas proprias *potentias vitales corpori ut toti*, eæ primo inerunt ipsi animæ. quo ruit iterum dissentientis male fundata sententiæ: nim. *Compositum primum potentiarum in quo inhereant subiectum esse*. idque vel maxime ex ipsius Adversarij ratione. cum *idem proprium, eademque facultas duobus parti, videlicet animæ, & toti, nim. corpori, subiectis primis æque primo, formaliter & subiective haud conveniat*. vid. Antid. c. 15. Quin ipsa communicationis & participationis ratio docet, *participans non est primū subiectum proprii*.

Theore-

Theorema

III.

Potentia vitales omnes insunt primo ac subiective in anima.

Cōtradicit theorema sententiæ Combachij : *potentia naturales & animales non sunt in anima tanquam in subiecto, ut inde ab anima per unionem ad corpus communicentur primo corpori. c. 13. de com. propr. p. 126.*

Probat^{ur} theorema. I. *quæ propria in eo, a quo emanant, immanent: illa vindicant sibi id ipsum, unde fluunt, & in quo immanent, subiectum inhesionis primum. at omnes potentia vitales sunt proprietates, quæ in anima, unde dimanant, immanent. ergo potentia vitales omnes vindicant sibi ipsam animam, unde fluunt, & in qua immanent, subiectum inhesionis primum. maior est irrefragabilis veritatis. minor nititur immoto totius de anima doctrinæ fundamento: primum inhesionis subiectum facultatum vitalium, esse earundem principium, & contra. siquidem vitalis virtus a non-vitali neque manare primo, neque eidem inesse ulla ratione potest. Jam vero constitit hactenus, neque corpus ut partem, neque compositum ex anima & corpore*

vitalis virtus requirit principium & subiectum vitale.

corpore conflatum esse fontem vitæ: cum illi vita nullo modo, huic per derivationem ab anima, de Sententia Combachii, veramque efficientiam in sit. sequitur igitur, quod *anima ut fons, sic subiectum sit vitæ*. Id quod porro confirmatur, quod *prius natura est ac causa proprii, id ejusdem proprii primum est subiectum, sed forma, sive anima prior natura est ac causa vitalium virium, ergo anima earundem primum est subiectum*. Majoris ratio liquet, quia tum causa effectui, tum subiectum accidente natura prius est. minor patet. *Anima prior est*. 1. corpore, ut composito & toto: quia omnis pars physice componens suo, quod componit, natura prior est toto. 2. live efficiat anima facultates vitales in composito, sive ei communicet, erit iterum natura prior tum eo, in quo efficit, & cui comunicat facultates; tū ipsis facultatibus, quas toti comunicat. nam causa & comunicans perpetuo τῆ φύσει antevertere intelligitur non solum rem effectam & comunicatam, sed & illud, in quo efficit, & cui eam rem comunicat. *prior natura quoque est* (non ratione multiplicationis, sive generationis, sic enim simul propagantur) *anima corpore organico, ut opposita parte, quia suam a prima*
 B statim

Anima & fons & subiectum vitæ.

Anima prior natura composito, & facultatibus.

Anima pri-
or organi-
co corpore
quod vivi-
ficat & ef-
format.

potentia
in semine
ante orga-
na.

Hypothe-
sis falsa
Comb.

Semen
quid.

femina
partes.

statim conceptione in semine corpus a-
nimat, & vivificat, ex eo organa efformat
ad nutritionis, motionis, sensationis actus
& operationes exercendas.

Hinc II. argumentor. *quæ potentia in
semine ante conformationem organorum &
partium adsunt, ea in anima primo ac subie-
ctive insunt. atqui omnes vitales potentia in
semine ante conformationem organorum &
partium adsunt. igitur potentia vitales in
anima primo insunt ac subiective. major op-
ponitur hypothese, cui totam suam disputa-
tionem superstruit Adversarius. quæ hæc
est: potentia vitales, quæ suas per organa
exsequuntur operationes, non possunt esse
nisi in eisdem organis, ut subiectis primis.
vid. lib. de homine c. 3. p. 81. Verum
quam caduca isthæc hypothesis sit ex de-
monstratione minoris mox innotescet.
principio ut constet, animam omnibus
suis facultatibus dotatam in omni semi-
ne adhuc incolumi esse, scire oportet,
semen esse corpus a generante productum ca-
lido innato locuples ad animæ cujusvis speciei
propagationem necessarium: adeoque dua-
bus constare partibus materia, & forma.
illa corpus femina est, cujus una pars
substantia crassa; altera, spiritus seu calor
innatus proportionem respondens elemen-
to stellarum (de quo Arist. l. 2. de Gene-
rat.*

rat. c. 3.) concessus animæ in proximam materiam. *hæc, ipsa anima est principium generationis & motionis. siquidem generatio ita in animatis comparata est, ut tota anima specifica generantis sese totam in semen, aut semini analogum, ut diversum subiectum, per quod a generante separatur, novumq; individuum constituit, absq; ulla sui divisione, transituq; de subiecto in subiectum, multiplicando diffundat & propaget. Ex his ejusmodi nascitur discursus.*

In semine sunt operationes anima. ergo & potentia anima. ergo & essentia anima. namque indissolubili coherent nexu, operari, posse, esse. Operatio potentiam ponit, potentia essentiam. Antecedens probatur, duæ sunt ut maxime naturales, sic maxime communes anima operationes; una animatio, seu vivificatio corporis; altera conformatio ejusdem. 1. Animatio in semine se prodit, dum semen, in primis plantarum & oviparorum aliquandiu fecundum manet, idemque præsentia alimento, calore extrinsecus excitante, in loco idoneo in suam excrevit speciem 2. Formatio, dum semen alimentum per se inanimatum, scilicet in plantis e terra succum, in animalibus, e venis sanguinem attrahit, ipsum animat;

B 2

tibus

Animæ subiectum spiritus innatus.

Generatio viventis.

Anima est in semine

Animæ naturales operationes

tibus, aliam in animalibus pro epate, aliam pro cerebro: in plantis aliam pro radice, aliam pro ramis, alias pro aliis segregat, suo quamque loco partem *disponit*, alio cerebrum, alio cor, alio ventriculum, alio epas: alio radicem, alio medullam, alio folia; unamquamque porro partem ita affabre *format*, ut suam determinatam figuram, magnitudinem, numerum ad actiones habeat. in *formato* iam, ac absoluto *corpore* partes organicas *conservat*, deperditas *instaurat*, novas *procreat*, videlicet in *arbore* folia, flores, fructus, surculos, ramos, radices; in *animali* ungues, cutem, pennas. hæ *operationes* in semine, & postea in corpore formato arguunt, suas, a quibus manant, *facultates adesse, facultates animam*. Nec enim alia certior ad latentis causæ, adeoque ad *animæ* etiam in semine *presentis* certitudinem ac cognitionem nobis est concessa via, præter ipsas animæ operationes. neque hæ *naturales actiones, animatio* nempe, ac *formatio* tribui principio *externo, vel generanti*, quod sæpe iam interiit, vel *animæ matris*, quæ divisa subiecto est ab anima semini communicata, vel *semini, seu materiæ seminis*, quippe quæ in seipsam ageret, vel *calori innato*, qui ultra vires operaretur, vel *utero materno*, aut

terra

Animatio
& forma-
tio non ab
externo
principio.

terra gremio, quæ locum, in quo forma-
tio perficitur, duntaxat præstant, extra
quem conformatio sæpe peragitur, ut in
ovis videre est: vel λόγῳ πλασικῷ ab ani-
ma separato.

His ita præstitutis, demonstratur, *fa-
cultates vitales in semine ante conformata
organa & partes adesse*. Id patet primum
*sensui in seminibus folliculo, aut testis con-
clusus*: ovis nimirum, & plantarum semi-
nibus. in his quam diu *spiritus ille insitus*
seu calidum humidumque radicale,
quod naturæ balsamum vocant, viget,
tam diu & anima & facultates ejus salvæ
adsunt: licet nullus organorum adhuc ap-
paratus detur: quæ multo sæpe tempore
post, nec prius formare *facultas formatrix*
aggreditur, quam terræ mandata fecun-
dæ, & calori suscitanti externo vel solis,
vel fornacis, vel incubantis, vel confo-
ventis cujusque sint exposita semina.
Idem liquet in *seminibus viviparorum a-
nimalium liquidis illis, ac spirituosis*, ho-
minis, equi, leonis. quanquam enim ne
momento quidem, post retentionem se-
minis ac conceptionem *vis anime forma-
trix* in horum semine a fabricatione ces-
sat, revera tamen *primo actu in semine*,
ut id *similare corpus* est, degit primum, a-
gens partim in corpus seminis, id ipsum

Facultates
vitales in
semine an-
te organa
formata.

formatrix
in semine,
ut simila-
re.

Formatrix
sine orga-
nis esse po-
test.

Animæ
primum
subiectum
corpus si-
milare.

vivificando, partim in sanguinem atque
alimentum, idem seminis corpus confor-
mando, organisque quantitate certa, nu-
mero, figura, situ ad operationes vitales
edendas necessariis instruendo, atque i-
ta ante organa corporis non modo forma-
trix, sed & reliquæ omnes facultates cum
ipsa anima in corpore seminis sunt; non
certe quia formata iam sunt, sed quia
formantur organa. utique duplici se re-
spectu habet anima ad corpus. uno, ut a-
ctus primus: altero, ut secundus. Ani-
mæ, ipsiusque facultatum subiectum
per se ac primum, & simpliciter ad aqua-
tum non est corpus organicum organa e-
nim sunt effectus formatricis, proindeque
non natura tantum quædam posteriora,
sed & tempore. Licet enim omnes ani-
ma in ipsa generatione teneat facultates,
non tamen omnes simul explicat, sed eas
primo, quæ maxime sunt necessariae.
Hinc virtute plastica initio ea ad actiones
organæ perficit, quæ primo sunt necessa-
ria, velut nutritionis & auctiois. Ideoque
sine organis, quæ ipsa non ad τὸ εἶναι πρῶ-
τος, verum ad τὸ ἐνεργεῖν necessaria sunt,
esse potest. Subiectum autem primum ani-
mæ est corpus simile, scilicet substantia
oleaginosa, ut in plantarum; spirituosam, ve-
lut in animalium seminibus, quam Ari-
stoteles

stoteles πνεῦμα καὶ φύσιν ἀνάλογον ἔσαν τῶ
 τῶν ἄστρον στοιχείῳ appellat, ut ita corpus
organicum, & id demum perfectum, sit
subiectum animæ perfectionis, & conserva-
 tionis, propterea quod nec anima, nec
 corpus, adeoque nec totum compositum
 pervigere sine operationibus vitalibus,
 ac in vita perseverare potest. Et cum
quantitatis expers sit anima, eam in simila-
 ribus per se ac primo inesse partibus, quæ
 certa carent figura, recte statuitur. In
organicis autem quantitate certa, nume-
 ro, figura, situque definitis non est, nisi
 quatenus illæ ipsæ constant e similaribus.
 e quibus apparet, *facultates vitales o-*
mnnes primo & subiective animæ inherere.

III. Quæcunque potentia sunt ab anima
inseparabiles, separabiles a corpore organico
& composito; illæ non possunt non primo ac
subiective animæ inherere. At omnes poten-
tia vitales sunt ab anima inseparabiles, se-
parabiles a corpore organico & composito.
 igitur omnes potentia vitales non possunt
 non primo ac subiective animæ inherere.
 Major fulta est principio: *propria* (in qui-
 bus formarum, animarumque potentia
 præcipue numerantur) sunt per naturam
 a suis subiectis inseparabilia. Potentiarum
 vitalium ab anima inseparabilitas hæc-
 nus demonstrata est. i. per id, quod vita-

le neque manare a non-vitali, neque primo ac subiective eidem inesse queat. 2. quod anima suis stipata facultatibus in semine ad animationem & fabricationem sui corporis & organorum natura precedat. posito namque subiecto primo ac adæquato, ponuntur propria. Hisce ad robur minoris adiungimus, cuius supra mentio fuit facta, omnes facultates ab anima inseparabiles esse, propterea quod æque primo ac immediate omnes ab una anima specifica intrinsece promanant. hæc namque immediata dimanatio, in qua conveniunt, de necessitate facit cunctas vel separabiles ab anima, vel inseparabiles. Quam rationem tali complectimur discursu.

Inseparabilis potentiarum ab anima.

Naturales & animales potentie separabiles ab anima hominis sunt, vel quod ab ea dimanant intrinsece ac immediate; vel quod organice sunt, atque sic materiales ac corruptibiles; vel quod ab actione in altera vita cessabunt. non propter primum, quia que intrinsece dimanant, ab eo unde dimanant, sunt inseparabilia, ipso suffragante Combachio. alioqui & ipsæ rationales potentie, intellectus & voluntas forent separabiles. neque enim ulla subest causa, cur rationales inseparabiles, naturales ac animales separabiles sint, ob immediatam omnium dimanationem. non propter

pter secundum. quia ut ipsa anima hominis, sic & ejus potentia sunt incorruptibiles, adeoque immateriales, quantitatis ex se expertes, & non-organica. non-organica, inquam, sunt, licet quoad per organa operantur, organicæ extrinseca denominatione appellitentur. Nam organica constitutio, quæ in magnitudine, numero, figura ac situ ponitur, ut primum non ad formarum, ita nec ad potentiarum receptionem necessaria est, deinde prædicta constitutio est effectus animarum, quæ quantitatem sui corporis terminant, determinatamque in id inducunt figuram, inq; nutritione ac auctione conservant. quandoquidem potentia primum sine organis in corpore, ut ipsamet anima actu primo esse possunt. dein quemadmodum anima & facultates non sunt in corpore, quatenus est organicum, sed quatenus simile: ita nec agunt in partibus ut sunt organica, verum ut similes, suoque præditæ calido innato. Id quod vis formatrix, quamlibet *φυσικωτάτην*, cum ante organa adsit, & sine organis operetur, satis aperit. Quomodo ergo organica erit formatrix? Tertio etsi vegetativa circa obiecta materialia: sensitiva circa res sensibiles ac species versantur, inde tamen minime efficitur, ipsas esse materiales ac corporeas.

Vitalis potentia non est organica

Facultates agunt in partibus, ut similes sunt,

sicut ex eo, quod *anima* corpus informat, perque id operatur: *intellectus* quod a phantasmatibus dependet, neutiquam concluditur, esse vel *illam*, vel *hunc* organicum, corporeum, materialem, corruptibilem. postremo non potentia, sed *partes corporis sunt organicae*. nec id precise propter potentias, sed propter *semet ipsas*. quippe quæ certam figuram magnitudine, numero ac situ determinatam nactæ sunt, ut commodius recipere, retinere ac expellere possint. non propter *tertium*. quia *cessatio ab actu secundo non tollit actum primum*. potest utiq; per hactenus probata, anima potentiis instructa esse in corpore quidem, ut non operetur, interim tamen illud informet. certe in celesti vita anima neque vegetabit, neque sentiet: non generabit, non formabit, non nutriet, non augebit. cum non opus erit nutrimento, hisque operationibus. non videbit, (physico more) non audiet, non odorabitur, non gustabit, non tanget. non dabitur color, sonus, odor, sapor, qualitas tactilis. Quis autem negaret, desituris operationibus, has potentias ab anima abfuturas? & cum ipsa membrorum officia & actus cessabunt, numquid propterea tollentur membra?

Separa-

*pars, non
potentia,
organica
est.*

*cessatio o-
perationū
non tollit
potentias.*

*cessatio o-
perationū
non tollit
potentias.*

Separabilitatem potentiarum a corpore, & composito sensus & experientia demonstrant. Etenim cum separabilis a corpore rationalis anima, inseparabiles ab anima potentia sint, separata anima, separantur potentia. idem de animabus bestiarum, ac plantarum decernendum.

Nam licet ut anime harum, sic facultates sint corruptibiles, nihilo secius tamen inseparabiles permanent ab animabus. His etenim destructis, non separantur ab animabus facultates, sed simul cum eisdem corrumpuntur. Et constat inter doctos luculentissima experientia, occultas qualitates simplices a suis formis, unde manant, inseparabiles esse. Nam formis ortis, oriuntur; intereuntibus intereunt. ita vis obrorpesfaciendi in Torpedine, vis item letalis in Basilisco, quamdiu vivunt, non torpent, sed vigent noxie, quæ in extinctis expirant. Rhabarbari, agarici, ellebori, & ceterarum plantarum vitales potentia, superstibus animabus, quarum essentielles sunt Proprietates, supersunt; interitis, intereunt: purgandi efficacitates emergunt ac vires. non quidem ab animabus, formis specificis, utpote iam extinctis, sed a formis subordinatis, spiritibus scilicet insitis, quæ non minus deficiunt, spiritu illo

Potentiarum separabilitas a corpore.

Facultates animarum in bestiis & plantis ab animabus inseparabiles.

Occulta qualitas simplex a forma sua inseparabilis.

illo deficiente, quam vitales, sublata anima.

IV. Cui primo convenit operari, eidem primo convenit posse. atqui operari primo convenit anima. ergo eidem anima primo convenit posse. major est Combachii l. 4. phys. c. 1. q. 10. mihi p. 775. minor hactenus demonstrata est. sequitur igitur conclusio.

Sunt hæc omnia validissima argumenta: ast firmiora adhuc ipse suppeditat Adversarius. statuit is tum in Physica, tum in Metaphysica cum Scoto contra Thomam, *potentias vitales distinctas quidem ab anima formaliter, sed re cum anima essentia esse idem*: ita quidem ut *anima sit ipsa per se potentia sua, non proprie subiectum potentie, & potentia sit ipsa anima essentia, non accidens & qualitas in anima, dicaturque ipsa anima facultas tantum quoad operationem.* l. 4. phys. c. 1. q. 10. p. mihi. 765. non quod facultas dicat quid ab ipsa anima diversum, cum sit perfectio intrinseca in essentia anima presupposita omni qualitati, nec ad genus qualitatis pertinens, juxta Scotum in 1. dist. 26. & Nicolaus de Orbell. in 1. dist. 8. q. 4. sed quod per modum potentie tribuatur anima. vid. Metaph. c. 4. p. 39. c. 22. p. 335. Ex quibus has Adversario inevitabiles necimus consequentias. *Potentie vitales sunt re idem cum anima*

Potentia
vitales sub-
jective in-
sunt ani-
mæ per
Combachium.

anime essentia. ergo. 1. ut sunt ab anima,
 sic in anima. ergo. 2. sunt primo ac subiecti-
 ve in anima. ergo. 3. per nullam omnino
 communicationem, multo minus per Com-
 bachianam illam effectivam, formaliter,
 primo & subiective sunt in composito. ergo.
 4. non sunt separabiles ab anima. ergo. 5.
 non primo corrumpuntur ad corruptionem
 totius.

Theorema

IV.

Anima corpori, oppositæ parti
 communicat potentias natu-
 rales ac animales sibi proprias (pri-
 mo & subiective inhærentes) &
 quidem ita communicat, ut non in-
 sint in corpore formaliter, essentia-
liter, habitualiter, subiective. Sive,
 corpus opposita pars animæ est sub-
 iectum potentiarum vitalium usur-
 pationis.

Anima
 corpori
 ceu parti
 communi-
 cat poten-
 tias.

Hoc theorema ipsam, quam contra
 Lutheranos ex libro Concordiæ, ejusque
 præfatione, ex Chemnitio de duabus na-
 turis in Christo, & aliis Orthodoxis for-
 mat Adversarius, exhibet *questionem &*

controversiam, lib. de communicat. idiom. c. 13. th. 9. p. 126. hanc vero communicationem ille ideam platoniam, vere verbalem, hoc est, fraudulentam, fictam, falsam, & purum putum idolum humani cerebri appellat, utpote absq; fundamento vel Scriptura, vel sane rationis introductum. c. 7. th. 2. ideoque demonstrandam postulat, demonstratamq; sibi exempli loco fore affirmat ejus generis, quo natura naturæ sua communicet propria. demonstrent nobis, inquit, lib. citat. th. 12. p. 129. hunc modum communicationis adversarii prius, & exempli loco nobis erit.

Non inesse
formaliter
corpori
potentias
quid.

non inesse
habituali-
ter quid.

Ad intelligentiam & demonstrationem theorematis exponendum videtur quid sit, non inesse formaliter & essentialiter corpori potentias naturales & animales. Videlicet sic inesse, ut corpus non sit formale ac essentialia principium, unde fluant: item non inesse habitualiter & subjective eadem corpori, ut idem non sit habituale ac primum, immediatumq; inhæsiōis subiectum. hac enim ratione corpus esset vitale principium & fons vitalium facultatum: primum item, ac immediatum inhæsiōis subiectum: non vero anima, cujus formales, essentielles & inseparabiles proprietates sunt, ipsi primo ac subjective inhærentes. adduntur igitur verba illa
partim

partim ne demigrationem priorum de anima in corpus videamus statuere, quam Orthodoxis cum affectis Combachius impudentissime impingit: partim ut corpus participationis & usurpationis subiectum quidem sit potentiarum, non autem inhesionis. subiectum hoc in negotio varie se habet. aliud inhesionis audit, ut anima: aliud usurpationis seu participationis, ut corpus: aliud operationis, idque vel primum; vel adæquatum: aliud denique denominationis.

His præmissis, defenditur theorema sequentibus rationibus. I. quibus partibus ac naturis ea intercedit unio, qua superior intimo illapsu & immeatione sua, se inferiori ad perficiendum operandumque præbet, eandem superior propter eandem unionem inferiori parti ac natura illa propria sua, que pertinent ad eiusmodi perfectionem & operationem, ad communem affectionem & usurpationem immediate communicat. atqui anima & corpori ea intercedit unio, qua anima pars & natura superior intimo illapsu & immeatione sua, se corpori, parti & natura inferiori ad perficiendum & operandum præbet, ergo anima propter eandem unionem corpori suas proprietates, que pertinent ad eiusmodi perfectionem & usurpationem. Ratio maioris nititur finis & mediorum
 summa

phrases dictæ adversus demigrationem priorum usurpantur.

~~Parti~~
 Communicatio prior ex unione

summa necessitudine ac nexu. finis certe
 partis, ac natura superioris sese inferiori tam
 arcte unientis & penetrantis alius non
 est, quam ut perficiat inferiorem, inque
 communionem ac societatem operationis, in
 qua præcipue versatur illa perfectio, tra-
 hat. quem ut consequatur, necessum est,
 ut ea immediate communicet, sine qui-
 bus iste nequicquam obtinetur. dico
 immediate. quia his mediis perficientibus
 inferiorem naturam, & ἐνεργητικῶς, et-
 iam alias, quæ præcise non faciunt ad
 hunc finem, communicari posse proprie-
 tates, nemo diffitetur. nam ad perfectio-
 nem hanc, & operationem non nisi aptas
 & necessarias proprietates immediate
 communicari contendimus. Cum igitur
 operatio participantis supponat presentiam
 potentia, ac essentia communicantis, utriusq;
 presentia vero sine unione impossibilis sit, se-
 quitur omnino unionem esse causam proprie-
 tatum communicatarum. minorem negare
 neminis, nisi absurdissimi erit. Quam
 porro sic fulcimus.

Unio caus-
 sa commu-
 nicationis
 prior.

Quæ forma. 1. vivificat corpus, ceu opposi-
 tam sibi partem. 2. fabricat idem illud cor-
 pus, vel organa corporis, ut in eo, & per id
 vitales perficiat actiones, illa communicat vi-
 tales quoq; facultates corpori. ratio opera-
 tio namque supponit potentiam. At a-
 nima

nima. 1. vivificat. 2. fabricat corpus, ceu oppositam sibi partem, ut in eo, & per illud vitales edat actiones. igitur anima eidem corpori suas quoque communicat facultates vitales. minoris veritas lucet. præcipuus enim conformationis finis, est operatio, quæ absque facultatibus non expeditur. quia igitur anima in corpore organico non agit absque facultatibus, ibidem præsto esse eas oportet. Id quod perpulcre explanat, Schegkiius. quando, ait, anima exercet operationes vitæ, aliquid est, quod, & aliquid quo eas exercet. quod energias exeret, est ipsa anima. quo autem eas exercet, est corpus organicum, quo tanquam instrumento divinis animæ, suas actiones præstare queunt. Neque hoc tantum exemplum a potentiis animæ desumptum demonstrat, communicationem eam, qua pars parti, natura nature sua propria, citra separationem a se, ac immigrationem in aliud; citra formalem, essentialem ac subiectivam inhæSIONEM in participante largiatur, esse possibilem, & re ipsa necessario dari, sed adhuc alia quam plurima in natura rerum. Quis nisi parum expers rerum physicarum, & vehementer iniurius in naturam, neget ignem in aqua, in aëre, in ære, in ferro, non modo per minima, hoc est, per atomos seipsum intime penetrando

ex vivificatione & conformatione communicatione facultatum.

Schegkiius.

communicatio propria alijs naturæ exemplis probatur.

— C —

per

per omnes partes & poros aquæ, aëris, æris, ferri, sed etiam inseparabilem a se proprietatem, nempe vim calefaciendi, urendi, siccandi absque ulla a se emigratione communicare? Sermo autem non est de igni extus appposito, producente specie similem, numero diversum in istis substantiis, ignem, sed de illo ipso igne, qui se in eas intime insinuavit, iamq; in iis revera viget. hic, inquam, quemadmodum seipsum, sic suam proprietatem eisdem substantiis, citra efficientiam & separationem, ad mutuam affectionem ac usurpationem, propter unionem atque penetrationem, tribuit. Multo minus de isto calore agitur, qui ab igni, vel ignis calore in memoratis rerum exemplis producatur, cum naturæ impossibile sit, experientiæque repugnet, calorem ignis ab igni, ut primo inhæsiōnis subiecto amoveri. Neque enim, ut falso hactenus vetus Philosophorum natio sensit, aquæ, aëris, &c. calefactio est nuda caloris introductio, sed atomorum ignis communicatio & participatio. Nec alteratio physica in sola qualitatum mutatione cernitur, verum in participatione alieni corporis insuper. Atq; hæc non de massa tota, sed de massa parte ea, quæ sua natura ut ignis non est, sic neq; virtute ac proprietate ignis prædita, nisi per participationem. hinc natura

Ignis propria communicat sine effectione ac separatione, aquæ, aëri,

Calefactio est atomorum ignis communicatio.

Alteratio in participatione alienæ substantiæ & qualitatis ponitur.

ra

ræ ac veritati convenientissime enuncia-
 tur: aqua est ignita: aër est ignitus, as, fer-
rumve est ignitum. Favet partibus nostris
 magnus Scaliger exercit. 14. neque, ait,
aqua fervens est ignis, quatenus aqua est:
sed quatenus ignita. est igitur habens ignem
& siccitatem, quem in fumo abeunte com-
prehendimus intellectu, atque etiam sen-
su. urit enim, qui calor in aqua est, ignis est,
contrario suo mistus. Idem unus omnium
 docet firmissime experientissimus Sen-
 nertus Hypom. physic. 3. c. 1. Quæ con-
 tra ferrum ignitum a Combachio affe-
 runtur, ea inferius examinabuntur. Ita
 quoque magnes, qui in ferro est, communi-
cat ferro non novam producendo, sed eandem
trahendi, seque ad polos convertendi vim il-
lam, qua ipse præditus est, largiendo. Idem
 patet in lacte, aut vino purgante. Succus
 purgans, cui jungitur vinum, aut lac ita
 penetrat, ut eandem inde purgandi vim
 communicet vino aut lacti. Quis claris
 hisce experimentis obstreperet, aut sine
 necessitate contenderet, succum purgan-
tem in vino, aut lacte succum alium, vel pur-
gandi vim procreare, eamque separatim a
primo, cui immediate inheret, subiecto? in
 aprico est peritis naturæ vestigatoribus,
vim obtorpefaciendi in Torpedine, quæ ab
ejus anima immediate fluit, eidemque

Scaliger.

Magnes.

Succus
purgans.vis obtor-
pefaciendi
communi-
catur cor-
pori Tor-
ped.

Vires plan-
tarum pur-
gandi.

*Spiritus a-
nimalis &
plantæ in-
situs com-
municati-
onem pro-
priorum
probat.*

formaliter inhæret, communicari *corpo-
ri Torpedinis*, ceu alteri parti. vis hæc, vi-
gente anima, viget, pereunte perit. Ex-
tincta enim ita innoxia perhibetur, ut
nonnullis in cœnam veniat. In *Rhabar-
baro, Agarico, Elleboro, &* aliis adhuc vi-
ventibus plantis *corpora vitales participa-
re potentias*, quam diu sint superstites a-
nimæ, nemo nisi hostis veritatis inficia-
tur: in extinctis eadem *corpora vires pur-
gandi participare*, quam diu *salvæ* sunt
formæ subordinate. h. e. *spiritus cuiq; insitus*,
inde constat, quod sublatis animabus,
simul potentia tollantur vitales: corru-
ptis, vel separatis formis subordinatis,
id est, spiritibus insitis, istæ quoque pur-
gandi facultates corrumpantur. *Experi-
mur* enim, cum cariota evadunt, aut spi-
ritus iste, balsamicaque substantia arte
tollitur, reliquum, quod participabat il-
las vires, corpus postea fieri inutile. Ac
si quicquam offensissimam Adversariis
hanc priorum communicationem e-
vincit, *spiritus animalium & plantarum in-
situs evincit*. Nam hic *spiritus animarum
proprium subiectum intime pervadit ac pe-
netrat totum corpus*, ita ut corpus ad finem
vitæ usque vegetum permaneat, quod
cum sine *potentia*, ut res finita corpus ob-
tinere nequeat, necessum est, *spiritum in-
situs*

fitum, propter hanc intimam penetrationem, vegetandi propriam vim, ac confovendi corpori, quod vegetationem participat, largiri. qui vero, decedente anima specifica, cuius vehiculum erat in animalibus horumque partibus, itemque in plantis specifica formæ & anima succedit, fungiturque aliquandiu munere formæ, viresque occultas sibi proprias & essentielles communicat corpori. quæ tamdiu in corpore supersunt, quamdiu spiritus ille, ut primum earum inhæSIONIS subiectum, integer perdurat.

Theorema.

V.

Corpus ut totum, seu compositum est subiectum potentiarum vitalium denominationis intrinsecum.

Subiectum *denominationis* est, unde subiectum *tale esse* denominatur. estque vel *extrinseca denominationis*, quod denominatur non ab eo quod inest, vel per communicationem convenit, sed ab eo quod ordinem & respectum habet ad illud, quod denominatur. quomodo homo dicitur esse vestitus, paries visibilis, corpus scibile. vel *intrinseca denominationis*,

Denominatio extrinseca.

Intrinseca.

Corpus ut
compositū
est subie-
ctum deno-
minatio-
nis poten-
tiarum.

Denomi-
nationis
caussa, 1.
Syndyasis,
2. commu-
nicatio.

onis, quod denominatur ab aliquo acci-
dente sibi inhaerente, aut conveniente
per participationem. quo pacto ignis cali-
dus, aqua frigida, lac dulce esse dicuntur.
*Subiectū denominationis intrinsecum, alias
idem est cū subiecto inhaesionis, aut partici-
pationis: alias diversū a subiecto inhaesionis,
vel participationis.* obtinetq; hic distinctio
inter subiectū quod, & quo. Cum autē ha-
ctenus demonstratū sit, vim sensitivam, &
vegetativā animæ per inhaesionem; corpori ut
parti per communicationē convenire, sequi-
tur necessario, corpus ut compositū esse sub-
iectum denominationis, & Quod potentiarum
vitaliū, non etiam inhaesionis. Atq; hujus de-
nominationis caussa est partim arctissima a-
nimæ & corporis conjunctio & syndyasis, par-
tim priorum corpori facta communicatio.
ut enim propter penitissimam animæ in
corpus penetrationem anima communi-
cat corpori suas proprietates, ita propter
sui tum penetrationem, tum communi-
cationem dictarum proprietatum, tribu-
it corpori ut composito denominatio-
nem a potentijs, earumque actionibus.
Hinc recte denominatur *planta*, quod sit
potentia vegetativa prædita, nutriatur,
crescat, generet, specificosque actus e-
dat: *animal*, quod sit sensitiva, appetiti-
va, & locomotiva facultate instructum,
sentiatur

sentiat, appetat, loco se promoveat, suæ
speciei peculiare efficiat *évegytias*: homo
intellectu & voluntate præditus, quod in-
telligat, velit, ratiocinetur. Ceterum ut hujus
denominationis natura & veritas plani-
us innotescat, *anima consideratio* duplex
probe notanda venit. vel enim conside-
ratur ut *actus & forma*; vel ut *agens &*
efficiens. priori modo respicit præcise *corpus*,
alteram partem, ut *potentiam*, id ipsum
informando, perficiendo, penetrando, confor-
mando, suasque potentias proprias ad actum
secundum, seu operationes edendas commu-
nicando. posteriori, respicit corpus, ut to-
tum, operationes ei tribuendo, a quibus adæ-
quate quidem, at non primo denominatur.
Quandoquidem *primo anima* dicitur ope-
rari, non compositum. priori respectu
corpus ut compositum non absolute a poten-
tis, sed secundum certam partem denomina-
tur. quia facultates non ipsi composito,
sed *parti compositi* dantur. posteriori au-
tem *ab actionibus absolute ac adæquate de-*
nominatur. Siquidem actio naturalis &
animalis utriusque partis, atque sic to-
tius est compositi. Anima enim in, cum,
& per corpus vitales exercet operatio-
nes.

Anima 1.
ut actus &
forma.

2. ut agens
& efficiens.

Corpus ut
composi-
tum a po-
tentis se-
cundum
certam par-
tem deno-
minatur.

ab *actioni-*
bis abso-
lute ac ad-
æquate.

Sententia Combachij, & ad eam Responsio.

Postquam firmissimis hæctenus ratio-
nibus *Affirmans* demonstrata est *sen-
tentia*; *Negans* nunc superest adversarii
confutanda *opinio*. quod ut pari fiat ordi-
ne ac perspicuitate, placet eam theore-
matibus inclusam exhibere. Sit igitur.

Theorema

I.

Propria non possunt ulla ratione
communicari, hoc est, de uno
subiecto in aliud migrare. Est enim
propria non communicari nihil a-
liud, quam ea in hæsiue in uno sub-
iecto, in quo per se sunt, posita, de
eo in aliud numero subiectum mi-
grare non posse. Antid. c. 15. p. 71.

propria
communi-
catio est
migratio.

Ergo.

Nec naturales & animales po-
tentia.

Proprium facit geminum, *unum a cau-
sa & in causa simul*: id scilicet, quod
in

in ratione tum *causa*, tum *subiecti* dependet ab uno. v. g. intellectus & voluntas ab anima rationali, ut a *causa*, & in illa, ut in *subiecto*. Alterum a causa, non in causa; nempe id, quod ab uno, ut a *caussa*; in alio, ut in *subiecto* est. veluti facultates naturales & animales ab anima effective, in corpore *subiective* sunt. utrumque proprium est incommunicabile. hinc invicta ratio, i. quod *immediate ac adequate* ita ab hac *causa* fluit, ut omnem aliam priorem excludat *causam*; idemque ita in hoc *subiecto* primo & *adequato* est, ut in alio priori nullo sit, istud alteri non potest *communicari*. h. e. de *subiecto* uno in aliud *migrare*. atqui *proprium* *immediate ac adequate* ita ab hac *causa* fluit, ut omnem aliam priorem excludat *causam*; idemque ita in *subiecto* hoc primo & *adequato* est, ut in alio priori nullo sit. ergo *proprium* alteri non potest *communicari*. Ratio maioris. Nam si *communicaretur*, haberet & *duas causas*, unde flueret, *totales*, & *subiecta* duo: unum in quo per se, aliud in quo participative esset, seu suppositis illa distinguerentur *subiecta*, seu per unionem forent unum. duo insuper informaret *subiecta*. Iam manifesta *contradictio* est, unum effectum *duas* habere *causas* *totales*, duoque *subiecta*. Esse enim *caus-*

C 5 sam

Communi
in ratione
ab anima
& in illa
ut in subiecto

Proprium
non com-
municatur,
hoc est, migrat.

Communi-
nicatio in-
fert duas
causas &
subiecta.

Sam totalem simpliciter excludit omnem
causam concausantem. breviter. *Pro-
prii primitas tum causa, tum subiecti, est in-
communicabilis omni alii, intellige per
migrationem. Antid. c. 15.*

2. *Quod in uno est per se, in altero partici-
pative, id in distinctis est subiectis, & duo nu-
mero informat subiecta. At proprium quod
communicatur, est in uno per se, in alio par-
ticipative. ergo proprium quod communi-
catur, est in distinctis subiectis, duoque nu-
mero informat subiecta. patet res in ex-
emplis. ferrum ignitum duo facit subie-
cta, unum ignis est, qui de se producit, &
in se recipit calorem, alterum ferrum.
Itaque siue suppositis sint distincta sub-
iecta: siue unum per unionem facta, sem-
per migrare dicitur accidens de subiecto
in subiectum, si in utroque aequè primo &
subiective esse dicatur. sed una forma du-
as numero materias informare non po-
test. sic ignis urit, est per se. ferrum urit,
est per accidens.*

Refutatio.

Demonstratum hactenus naturæ ex-
emplis, eam priorum communi-
cationem in natura esse fundatissimam,
qua substantia, natura, & pars in toto, in

com-

composito, in supposito suas alteri substantia, natura, & parti contradistincta proprietates, ob arctissimam ἐνωσιν, συνδύασιν & περιχώσιν, contribuāt ad communē affectionem, usurpationem ac denominationem. Atq; id ea fieri ratione constitit, ut neq; natura & pars in opposita natura ac partis essentiam abeat; neq; proprietates, relicta natura & parte, tanquam causa, unde sint, & subiecto in quo hæreant, transferantur in oppositam naturam & partem, ceu alteram causam & subiectum, unde ac ubi æque primo ac per se existant, neque ulla ratione propria multiplicentur. Tale quippiam nec de se unio ac syndyasis, nec ipsa communicatio efficit. non confunduntur, aut evertuntur natura, non multiplicantur causa & subiecta proprietatum: non separantur transmigrando de uno in aliud subiectum proprietates: non multiplicantur in participante productione similium: non efficitur, ut æque primo duobus inhæreant subiectis. Neque enim plus conficitur communicatione, quam ut eadem propria revera quoad operationem participet altera natura & pars; eadem usurpet, iisdem afficiatur, ac denominetur.

Huic solidissimæ sententiæ cum contradicere non posset, multo minus evertere

Communicatio
proprior.
fit sine
essentia
mutatione,
migratione,
& multiplicatio-
ne
proprior.

Communicatio, est
proprior.
ad operationem,
usurpationem,
affectionem &
denominationem
participatio.

Ficta Com-
bach. con-
troverfia.

Hypothec-
is Com-
bachij, pro-
pria mi-
grare

tere, mutat combachius, & more Sophistarum, alienissimam ab hac, quam impugnet, confingit controversiam, scilicet. *Propria non possunt ulla ratione communicari. h. e. de subiecto uno in aliud migrare.* Verum *migrare propria*, non nostra assertio, sed tua est, Cömbachi, *hypothesis*, tuis quibus veritatem indignissime insignis dignissima elogiis, *fraudulenta, ficta, falsa, purum putum tui cerebri idolum.* Talem namque *non communicationem*, sed horrendam proprietatum a primo ac per se subiecto & causa *distractionem* semper detestati sunt nostrates Philosophi & Theologi. Demonstrandum ergo bona fide. 1. *talem ab ullo unquam esse propugnatam.* ostendendum. 2. *communicationem priorum*, quam nos in *vera participatione, communique usurpatione* ponimus, esse eiusmodi *migrationem atque abdicationem.* convincendum. 3. *hanc e nostra assertionem transitionem vel expresse, vel consequenter saltem existere.* Hæc quoniam e nostra non oriuntur sententia, cum *idolo suo, ac idea colluctari* pateremur Adversarium, nisi vel ad falsissima respondere pertinacibus fatius esset, quam videri respondere non posse.

Resp. ad. 1.
Syll.

Ad maiorem igitur primi syllogismi dico: idem proprium, quod ab uno & in uno

uno tanquam immediata & adequata causa & subiecto est, non posse communicari alteri ita ut eque primo ab eodem fluat, eademque subiective inhereat; quo sensu totum datur argumentum. Etenim talis communicatio, id est, migratio, quæ duas causas & subiecta infert, plane impossibilis est. posse tamen idem proprium alteri ad communem usurpationem ac operationem, salva proprii tum causæ, tum subiecti primitate, communicari, iam dudum exemplis ab aliis, & a nobis commonstratum est luculentissimis. Nam ejusmodi, quam nos tuemur, participatio ac communicatio nec tollit primitatem, nec duplicat eandem adæquatæ causæ & subiecti: multo minus totalem transmutat in partialem causam, addendo concausantem. Atq; hoc sensu negatur argumentatio. Ita nulla prorsus consequentia. 1. proprium a causa & in causa simul est, ergo non communicatur. 2. proprium communicatur. ergo migrat. contrarium supra luculentissime pariter, ac fortissime ostensum dedimus.

In altero syllogismo negatur maior. quia participatio non duo distincta, quibus æque primo inhereat proprium, eaque informet, parit subiecta, sed unum relinquit inhesionis ac informationis, alterum postulat

proprii
communi-
catio ad
duas caus-
as & sub-
iecta im-
possibilis.

Inconfe-
quentiæ
Adversarij.

Resp. ad 2.
Syll.

Falsa hypothesis.

Aristoteles

Modis, uni per se, alteri per accidens convenire; communicatio non tollitur.

lat usurpationis, citra ullam proprii migrationem, novamque inhaerentiam. Sic vis urendi, quæ est in igne per se, in ferro per participationem, duobus non inhaeret subiectis. *Falsissima est hypothesis, indeque per summam injuriam nobis afficta opinio, priorum participationem & communicationem in participante inducere inhaesionem.* neque negamus propositionem: ignis urit, esse per se: ferrum urit, esse per accidens. siquidem ignis, ut ὑποκείμενον: ferrum, ut συνδραζόμενον, calida sunt, atque urunt. de quo Aristot. l. 2. de partibus animalium. c. 3. ut enim non ignis, sic nec vis urendi a ferro, qua tali, est. quid vero ad rem? an his modis uni per se; alteri per accidens convenire, tollitur communicatio? non utique. sed tua ficta tantum proprii æque immediata & pluribus causis fluxio, pluribusque in subiectis inhaesio ac migratio. quanquam longe differentes prædicationes sunt, ferrum urit: & ferrum candens urit. hac certe non, ut illa, per accidens est.

Theorema

II.

Potentia animales & naturales ab anima fluunt, sed in corpore recipiuntur. Ergo.

Ergo

Non communicantur. h. e. de subie-
cto in subiectum migrant. Antid.
c. 15. Ratio consequentia est, quia in ani-
ma formaliter, & inhesive non sunt, sed ab
ea in corpore, ut composito productaherent.
propriū autem a causa, sed non in causa
existens omnino est incommunicabile, id est,
non potest migrare de subiecto in aliud.
Argumentum in forma tale est. Que po-
tentia ab anima, ut a causa intrinseca de-
pendent, & in corpore, ut in subiecto recipi-
untur, ista non communicantur. h. e. mi-
grant. Potentia naturales, & animales ab a-
nima, ut a causa intrinseca dependent, &
in corpore, ut in subiecto recipiuntur. ergo
hae non communicantur. h. e. migrant. Ra-
tio. diversa priorū dependentia in diverso
genere tollit communicationem (migrati-
onem) eorundem, sed facultates ab anima
in genere causa efficientis, a corpore in gene-
re subiecti dependent. Nam cum duo sem-
per supponat subiecta communicatio, u-
num in quo per se, alterum in quo participa-
tive inest, eiusmodi facultates propriae
non supponunt aliud prius subiectum in
quo sint, quam ipsum corpus, in quo ada-
quate sunt. nec a posteriori in alio subie-
cto esse possunt, quam in hoc ipso, in
quo

Animæ
potentiæ
non mi-
grant.

Facultatū
primum &
adæquatū
subiectum
corpus.

quo sunt. c. 15. Antid. Minor patet. nam *potentiæ* hæc conveniunt *animæ* tantum ut *radici & principio*, atque sic *potentia*, quatenus ab ea produci possunt; minime *actu*. l. 4. phys. c. 1. q. 10.

Refutatio.

Fallit elen-
cho igno-
rat. Ad-
vers.

propriorū
dependen-
tia causæ
& subiecti

Potentias tum in genere causæ, tum in genere subiecti ab anima dependere supra ex theorematis tertij probatione abunde satis innotuit. hoc autem loco, si anima suas potentias in composito efficit, jure merito quæritur, cum compositum. v. g. corpus animatum nihil sit præter corpus & animam iunctim sumpta & unita, eas autem neque in anima, neque in corpore efficiat, quomodo eas in composito producat, ut neque in anima, neque in corpore insint. *Migrationem* autem cum nos neque statuamus, neque nostra sententia efficiamus, *elencho* *ignorationis* partim, partim *principij petitione* frustra insultat Adversarius. Quare *Antecedentis*, & *minoris istius in facto syllogismo* necessariam demonstrationem imperamus Combachio. *rationes*, vel declarationes potius ex eodem fonte τὸ ἐν ἀρχῇ cum antecedente ac minore cū deriventur, intactas præterlabi sinimus. Isthæc autem *diversa propriorum dependentia* neque

neque in facultatibus animæ, neque in aliis internis proprietatibus datur. esset enim extrinseca in alio proprii productio ac effectio. id quod repugnat proprio proprie sic dicto. Alias dependentia propriorum in genere causæ efficientis immanētis & subiecti in eodem, quæ in facultatibus vel maxime obtinet, non tollit communicationem. Equidem mirari satis nequeo, qua fronte Adversarius asserere ausit, facultates ab anima fluere, non in anima esse, sed in corpore recipi, cum re idem faciat illas cum ipsius animæ essentia. l. 4. Phys. cap. 1. q. 10. num facultas, quæ re eadem est cum anima, ab anima fluet, ut non sit in anima? num in corpore, a quo re & essentia discrepat, primo habebit, ut non in anima, cum qua una eademque celebratur, primo ac formaliter deprehendatur? Judicet hic cordatus quisque, & pronuntiet, annon ex Adversarij sententia, isthæc, quam nostræ impingit, nascatur gemina primitas causæ & subiecti? oriatur violenta migratio? quæ autem hæc est Euryclea philosophia, levis, inconstans, atque sibi vehementer contraria & adversa, οἰκοθεν, ut inquit Plato in Sophista, τὸν πολέμιον, καὶ ἐναντιώσομενον ἔχον ὑποφθεγγόμενον ἄτοπα.

diversa repugnat proprio.

Implicatio Combachij.

primitas causæ & subiecti duplex. item migratio ex sententia Adversarij.

D Theo-

Theorema

III.

SI potentia naturales & animales sunt ab anima & in anima proprietates, non sunt communicabiles. hoc est, non possunt de anima migrare in corpus.

Ratio consequentia, quia proprium a causa & in causa est incommunicabile. vid. c. 15. Antid. Quæ facultates primo ac adæquate ab anima effective, & primo ac adæquate in anima subiective sunt, illæ sunt incommunicabiles. id est, non possunt migrare in aliud. Idque propter primitatem causæ ac subiecti. Potentia naturales & animales primo ac adæquate ab anima effective, & primo ac adæquate in anima subiective sunt. ergo sunt incommunicabiles. id est, non possunt migrare.

Refutatio.

CUM Adversarius in hac tota controversia sua ubique falsissima vel hypothesis, vel consequentia nitatur in superioribus labefacta penitus, prolixæ hic nihil attinet immorari refutationi. Concedimus largissime istud consequens: nimirum,

mirum, non posse migrare ab anima in corpus, per exitiabilem desertionem, potentias anime: posse tamen easdem, citra detrimentum primæ ac adæquatæ causæ & subiecti, a corpore participari atque usurpari, perspicuis ac solidis rebus probatum est.

Theorema.

IV.

Potentia naturales & animales conveniunt corpori, ut toti coniuncto, seu composito, tanquam primo & immediato subiecto. c. 13. de communicat. idiom. th. II. lib. 4. phys. cap. 1. q. 10. lib. de homine c. 3. p. 81.

Ergo.

Non communicantur, hoc est, non migrant de anima in corpus. probatur auctoritate Thomæ 3. parte. q. 70. artic. 1. cum, inquit, potentia sit secundum quam potentes dicimur aliquid agere, vel pati: eiusdem autem sit agere, & posse agere, oportet quod eiusdem sit potentia, sicut subiecti, quod est agens vel patiens. unde Philosophus in principio de somno & vigilia

Thomas.

D 2

dicit:

dicit: quod cuius est potentia, eius est actio. Videmus autem manifesto quasdam operationes, quarum potentia anima sunt principia, non esse animæ proprie loquendo: sed coniuncti: quia explentur mediante corpore, ut est videre, audire, & huiusmodi unde oportet, quod istæ potentia sint coniuncti sicut subiecti: anima autem, sicut principij influentis: sicut forma est principium proprietatũ compositi. & huiusmodi sunt potentia omnes, quæ pertinent ad ipsam sensibilem & vegetabile. Hactenus Thomas, inquit Combachius, e quibus nos sequentes conclusiones deducemus adversus Adversarios. 1. Quicquid subiective & primo inest composito, id ipsum non obtinet per communicationem. facultates animæ subiective & primo insunt composito. Non ergo conveniunt per communicationem. Ratio argumentationis. Quæ enim conveniunt per communicationem, per aliud conveniunt: quæ primo conveniunt, non per aliud conveniunt, ergo quæ primo conveniunt, ea per communicationem convenire non possunt. 2. Quæ corrumpuntur primo ad corruptionem ipsius compositi, ea primo insunt composito, & non animæ respectu. Facultates corrumpuntur primo ad corruptionem totius compositi. Facultates ergo eæ primo conveniunt composito. Ratio argumentationis est, nihil corrum-

I. Facultates animæ composito insunt primo, nō per communicationem.

rumpitur primo ad corruptionem ejus, a quo non dependet. atqui facultates eae primo corrumpuntur ad corruptionem ipsius compositi. ergo habent dependentiam a composito. ea dependentia cum non sit tantum obiectiva, vel terminativa; sunt enim proprietates eae de se quid absolutum. ergo erit vel subiectiva, vel effectiva: subiectiva certe saltem est, quia primo insunt composito ut subiecto, nisi & effectiva simul fuerit. 3. Cui primo convenit operari, eidem primo convenit posse. dicit Thom. ex Aristot. Atqui operari primo convenit composito. nisi enim oculus fuerit apte dispositus, vel quodcunque instrumentum, aut membrum aliud, operatio deficit. ipsum ergo posse, seu facultas operandi primo insit composito necesse est. Minores horum trium syllogismorum porro hisce probat momenti in Antid. c. 16. p. 81. 82. Phys. l. 4. c. 1. q. 11. Facultates sensitivae sunt animae & corpori communes: sunt per se ordinate ad certa organa, in quibus primum sensuum sortiuntur nomina: non agunt nisi per organa corporea. ergo in corpore ut compositio, non in anima sunt, nec in anima separata relinquuntur. Eiusdem enim est potentia, cujus est operatio.

Facultatū
dependen-
tia a com-
posito sub-
iectiva &
effectiva
simul.

D 3

Resu-

Refutatio.

Quoniam hoc Theoremate sententiam suam Adversarius firmissimis, ut arbitratur, rationibus communitam proponit, interest nostra, ut accuratius in probationes ipsius inquiramus, & discutiamus.

Resp. ad r.
Syll. **P**rimum si inspicio argumentum, invenio in *maiore*. i. turpem contradictionem, propriamq; sententiæ everisionem. Contendit passim Adversarius. i. facultates in anima & ab anima tãquam principio, origine & causa esse. 2. animam has facultates non opposita parti, sed composito communicare, seu in id derivare. obtinet ergo compositum eas per communicationem ab anima, ceu causa influente, de mente Adversarij. Verum quod alibi astruit, hic destruit & negat, idem compositum per ullam seu effectivam, seu καθ' ἐνωσιν, ἢ συνδύασιν communicationem habere istas facultates. quæ enim conveniunt per communicationem, sive ea effectio sit, sive participatio, per aliud conveniunt. quæ primo conveniunt, non per aliud conveniunt. Quod si ergo ab anima non habet, a se ipso habeat compositum necesse est. Et certe illa ratio in *maiore* fortissime impugnat communicationem Combachij. *primum, immediatum,*
& ad-

& adequatum subiectum inhesionis & attributionis proprij, est prima, immediata & adequata causa ejusdem proprij. secus, id obtineret per communicationem, atque sic per alia. quod Autori absurdum. Atqui compositum est primum, immediatum & adequatum inhesionis, & attributionis subiectum facultatum naturalium & animalium. hæc minor est sententia Adversarij. ergo idem compositum est prima, & immediata ac adequata causa earundem. Ratio argumentationis constat, quia facultates a composito subiectivam & effectivam simul dependentiam habere dicit Combachius. lib. 4. Phys. c. 1. q. 10. p. mihi, 774. conclusio contradicit thesi. 3. c. 4. de communicat. prior. p. 29. alijsque locis. Quod si igitur compositum & subiectum & causa est potentiarum, quid tu frustra contendis ab anima eas composito communicari. 2. Minor continet hypotesin Adversarij falsam, petitionemque principij, quam cum nulla probare possit ratione Sancti Thomæ frustra implorat opem. Etenim cum compositum physicum partes alias non includat, quam ex quibus essentialiter componitur: nec aliæ partes dentur, quæ componunt essentialiter totum, sive quæ conferunt essentialiter composito, præter materiam & formam, seu animam & corpus, impossibile est,

Compositum & causa & subiectum est facultatum, per Comb.

Contradictio Advers.

pars essentialis proprias facultates parti essentiali oppo-

sitæ dat,
priusquam
composi-
to.

*ut pars essentialis & principalis proprias facultates tribuat composito, nisi eas in actuacione illa & perichoresi communitet oppositæ parti essentiali. Id quod Adversarius veritate convictus ipse docet Antid. c. 16. pag. 80. quando, ait, anima adveniens corpori primo informat corpus, & per informationem dat esse vitale corpori. quaero hic an corpori ut parti, an ut composito adveniat anima: utique illi, non huic. nisi velis animam jam animato, composito, completoque supervenire. quamvis Adversarius fallatur in eo, quod putet per *eductionem* animas, excepta humana, provenire. cap. 8. Antid. supponatque his ipsis verbis extrinsecus advenire. Nec quicquam proficit, quando cap. 13. de communicat. thesi. 11. & 12. dicit, *potentias essentielles esse in composito conjunctim sumpto, ideoque non esse communicatas, vel communicari. Nulla, inquam, consequentia. Nam potentia exsunt in composito medijs partibus, quibus & quidem primo, veluti anime: communicative, veluti corpori, conveniunt: sed composito consequenter ac denominative. Hinc propria iterum convincitur sententia. Que potentia, anime inseparabiliter, hoc est, originaliter & subjective, atque ita actu insunt, & tamen sunt in corpore;*
ea per*

ea per communicationem sunt in corpore, citra migrationem & inhesionem, & quidem in corpore, ut altera parte. Potentia naturales & animales anima inseparabiliter, hoc est, originaliter & subiective, atque sic actu insunt, (id quod haecenus probatum) & tamen sunt in corpore. ut concedit Combachius. ergo potentia naturales & animales per communicationem sunt in corpore, citra migrationem & inhesionem. Ratio maioris. talis inseparabilitas proprii negat & migrationem proprii de subiecto in subiectum, & inhesionem in alio. deinde eadem inseparabilitas facit, ut corpori, ceu alteri parti, sine violatione primitatis causae & subiecti, per communicationem conveniat, non composito. quia in animali praeter animam & corpus organicum partes principales nihil est. alias essentiaeque primo in toto inseparabiliter, ac in anima. Ex quibus patet, potentialium communicationem, respectu corporis ut partis, participationem, usurpationem & denominationem, ita comparatam esse, ut neque primitas causae & subiecti, neque inseparabilitas, neque immansio tollatur, respectu anima: neque migratio, & inhesio in duobus eque prima & nova inducatur.

Ad secundum arg. in isto primum, deinde distingo. ad corruptionem homi-

D 5

nis,

potentias
Corpori
ut parti
communi-
cari, sequi-
tur de sen-
tentia
Combach.

Insepara-
bilitas po-
tentiar. ab
anima sal-
vat com-
municati-
onem, &
primitate
causae &
subiecti.

Resp. ad
2. arg.

Instantia.

Corrumpi
bifariam
capitur.Facultates
pendent a
composi-
to, qua o-
peratione
& deno-
minat.Implicatio
Adversarij
ex Scoti &
Thomæ
pugna.

nis, primo corrumpitur *naturalis intelle-
ctio*. neque propterea homini primo, sed
intellectui inest, antecedens liquet,
nam naturaliter, dum homo degit in sta-
tu naturæ, intelligit, ejusque intellectus
pendet a speculatione phantasmatum, si-
ne qua nihil cognoscit. *Distinguo* ver-
bum *corrumpi*, quod dupliciter sumi po-
test, vel ut *simplicem destructionem*, vel ut
separationem, cessationemve notat. priori
acceptione conceditur *major*, sed negatur
minor. posteriori notione datur *minor*, ne-
gatur *consequentia*. *separantur cum ani-
ma, & cessant facultates ad corruptionem
totius*. ergo toti primo insunt, & sumit
subnexa argumentationis ratio, quod est
in principio & controversia. dependent
utique *facultates etiam a composito*. sed
anne in ratione *effectiva? subiectiva?* aut
effectiva & subiectiva simul? minime vero,
sed in ratione non nisi *operandi, denomi-
nandi, predicandi*.

Non minus autem in secundo hoc,
quam in primo argumento enormi se
implicat *contradictione*. Quod non alijs
quam Scoto, & Thomæ, quos sectatur
adversissimos, acceptum ferat. Scotus
*omnes facultates cum anima re idem esse, ab
anima & inter se formaliter differre asseve-
rat*. contra ea Thomas asserit *potentias
vitales*

vitales & animales ab anima & inter se, ut
 res & res distingui. ex sententia Scoti, fa-
 cultates non sunt accidentia & qualitates.
 ex mente Thomæ, sunt accidentia de pradi-
 camento qualitatibus. secundum illum, sunt
 ab anima inseparabiles, secundum hunc,
 ab eadem separabiles. juxta illum, sunt in-
 corruptibiles. juxta hunc, corruptibiles.
 per illum, insunt primo in anima, per hunc,
 primo in composito. Quid autem est sibi
 contradicere, si hoc non est, asserendo. 1.
 potentias re idem esse cum anima, & non esse.
 2. separabiles esse, & non esse. 3. corruptibi-
 les esse, & non esse. 4. accidentia, & quali-
 tates esse, & non esse. 5. primo in anima esse,
 & non esse.

Ad 3. dico, ab operatione ad subiectivam Resp. ad 3.
 inhesionem, malam duci consequentiam.
 Hoc quidem sequitur, operatio, verbi
 gratia, sensatio est in corpore, in organo,
 in composito. ergo & potentia proxima
 ad operandum, scilicet sentiendum. Ve-
 rum istud nequaquam sequitur, quod po-
 tentia sentiendi primo ac subiective in cor-
 pore, in organo, in composito sint, non au-
 tem in anima. Sicut facile conceditur,
 operationes animæ esse in corpore seminis, i-
 deoque & facultates animæ. sed hoc ne-
 que sequitur, neque concedi potest,
 quod propterea potentia anima primo &
 subiecti-

Ab opera-
 tione ad
 inhesionē
 subiecti-
 vam po-
 tentiarum
 in compo-
 sito, nulla
 est sequela

Homony-
nia 78
primo o-
perari.

subiective corpori seminis, aut semini inhaereant, & non animæ in semine. Ita minime licet procedere est præsens, & præsentèr operatur. igitur primo & subiective ei inest, cui est præsens, & in quo præsentèr operatur. Præsentia namque, ac operatio non protenus inferunt rei præsentis & operantis inhæsiõnem. Quocirca confundit rem homonymia. primo operari, convenit alicui, vel. 1. ut principio principali Quod. Ita ipsum compositum, seu suppositum substantiale singulare primo operatur. ut enim suppositum primo subsistit, ita primo dicitur operari. actiones enim sunt suppositorum. vel. 2. ut principio principali quo substantiali. quo pacto ipsa forma substantialis suppositi primo operatur. vel. 3. ut principio quo accidentali. qua ratione facultas primo agit. Hinc distinguo Majorem. Cui tanquam principio principali quo substantiali, primo convenit operari, eidem convenit posse, hoc est, potentia ipsa per inhæsiõnem. Iam negatur minor. Compositum enim per formam substantialem, utpote operationis proximum ac formale principium operatur. Quia igitur anima primo, proxime ac formaliter operatur: compositum, seu suppositum remote, media scilicet anima, potentia operandi primo inhærebit animæ, non composito.

Nulla

Nulla itaque consequentia est, ab operatione prima compositi ac suppositi ad subiectivam potentiaram inhesionem in composito. Nulla quoque in ejus ratione ratio est. operatio deficit, deficiente instrumento. e. g. oculo. ergo potentia operandi, videndi pendet ab organo subiective, primo, & consequenter a composito ipso. Sane ipsa intellectio & ratiocinatio læditur propter corporis dispositionem, & actiones corporeas, cum quibus communicat, intellectus tamen corpori minime inhæret. Solide in hanc rem acutissimus Schegkius in Apolog. Sabellianismi calumniæ opposito philosophatur. *quamvis, ait, anima per se ipsa nihil patitur, tamen illud, mediante quo, (tanquam instrumento) operatur anima, quia patibile quiddam instrumentum ejus est: idcirco ipsius quoque ἐπέχεια magis & minus recipiunt, aut interdum omnino impediuntur, aut ipsa etiam magis potens, aut minus potens, & ἐπεπύληξις esse dicitur anima.* Ad probationes denique minorum istas respondeo, nihil ipsis inesse consequentiæ. Nam quemadmodum non sequitur, forma pendent in esse, fieri, & operari a materia, id est, extra eam nec esse, nec multiplicari, nec operari valent. ergo educuntur e potentia materia, non a formis propagantur: sic non sequitur, potentiæ sunt communes corpori, sunt per se ordinatæ ad corpus, operantur
per

Schegkius.

per corpus. ergo potentia inherent corporis non ipsi animæ, & consequenter nec communicantur, nec separantur. Sane communitas, ordinatio, operatio convincunt, & stabiliant quidem communicationem facultatum, inhesionem autem earundem in corpore nullo inferunt modo. sed de his supra.

Sententia Combachij

de

Ferro ignito.

Ferro ignito, hoc est, massæ ex igne ac ferro compositæ convenit vis lucendi & urendi formaliter ac subiective. cap. 4. & 13. de communicat. propriet. thesi, 6, p. 123. in Antid. c. 13.

Vis lucendi & urendi massæ ex igne & ferro convenit.

Probatum. Quod formaliter ac subiective convenit massæ utriusque extremi, & ignis & ferri, id non convenit ferro, alteri extremo per communicationem sine effectum ac affectum. Sed vis lucendi & urendi convenit formaliter & subiective massæ utriusque extremi, & ignis & ferri. Massa enim, ceu suppositum quoddam ex igni & ferro compositum est. unde & ferrum ignitum dicitur.

dicitur. ergo vis lucendi ac urendi non convenit ferro alteri extremo per communicationem sine effectu & affectione.

2. Quod simile quid producit in subiecto, quod unitur, & in quod agit; id proprium suum eidem non communicat communicatione sine effectu & affectione, sed cum effectu & affectione.

Nam simile quid eiusdem speciei in eo, in quod agit, producere, ad extrinsecam & effectivam pertinet communicationem.

Atqui ignis, aut ignis calor simile quid (ignem alium, vel ignis calorem) in ferro, quod unitur, & in quod agit, producit. ergo ignis, aut ignis calor proprium suum, (videlicet calorem, vim lucendi & urendi) eidem non communicat communicatione sine effectu ac affectione, sed cum eis. probat minorem inde. i.

quia ferrum est formaliter calidum per actionem materiale, quam exercet in id, quod unitur, & conjungitur. cap. 4. th. 8. p. 34. de communicat. priorum.

2. quia ignis agit & generat materialiter. hoc est, generat quidem similem ignem, aut calorem, sed non de sua substantia elargiendo, sed in materiam externam agendo, inque ea ignem efficiendo.

Cujus & actio convertit in suam substantiam, quod ejus vim patitur; & calor generat calorem, qui formaliter inest ei, qui calefit. c. 13. th. 6. p.

124.

Ignis ignem, vel calorem, vimque lucendi in ferro efficit. ergo non communicat.

Ignis materialiter agit convertendo ferrum in suam substantiam.

calor in igne per se, in ferro participatione est incommunicabilis.

Forma creata viribus donata divinitus ad efficacitatem.

Formæeductio, e materiæ potentia, nulla.

124. 3. Quæ proprietas est in uno per se, in alio participative, ea non communicatur, id est, migrat. Ratio. sic enim esset in duobus distinctis subiectis, sive suppositis sint distincta, sive unam per unionem facta. Semper namque migrare dicitur accidens de subiecto in subiectum, si in utroque æque esse dicatur. Ast calor est in igne per se. de se enim producit, & in se recipit calorem: in ferro participative. ergo calor non communicatur, id est, migrat. Ignis urit, est per se: ferrum ignitum urit, est per accidens. in Antid. c. 15. pag. 71. 72.

Refutatio.

Nulla forma creata, quia finita, immediate est efficax per suam substantiam. ergo peculiaribus viribus ac proprietatibus ab ipsa & in ipsa primo existentibus a Deo est dotata, quibus esset efficax. ergo & forma ignis. 2. ut nulla forma, si nulla vis ac proprietas formæ, quamlibet cum sua materia, & in ea propagetur, atque operetur, educitur e potentia, vel essentia sue materiæ: & tamen dicta proprietas communicatur propriæ materiæ sine effectu. ergo & proprietas formæ ignis, caliditas, & vis urendi pari modo communicatur materiæ

ria ignis. 3. hinc omnes ejusmodi vires ac proprietates sunt inseparabiles a forma sua, tanquam prima causa, primoque subiecto: communicabiles nihilominus rursus ei, cui uniuntur forma. ergo & vis, & proprietates formae ignis alteri & oppositae substantiae, vel propter unionem essentialem, vel propter mixtionem, vel ob syndysin communicatur. Ex his elucescit ignem in ferro, cui unitur, nec similem ignem specie, aut numero diversum, nec similem urendi vim efficere, sed se ipsum uniendo cum ferro, suam propriam urendi vim ac lucendi eidem, citra efficientiam, communicare ad communem possessionem & usurpationem. Etenim qui in carbonibus est idem numero ignis, ut est subtilissimus ac tenuissimus per atomos e carbonibus exhalando ferrum applicatum penitus subit, perque poros ita penetrat, ut totam ejus occupet substantiam. in hac occupatione ferrum participat vires urendi ac lucendi, neque enim ferrum, dum alteratur & calefit, tantum calefcit, seu nudum accipit calorem, sed ignem calore praeditum: neque in substantiam ignis convertitur, sed in substantiam suam ignem admittit. Quippe haec alteratio ferri est ipsius substantiae ignis participatio, et cum proprietates propter inseparabilitatem absque proprio subiecto participa-

Proprietates
a forma
insepara-
bilis, &
materiae
communis
cabilis.

Ignis non
producit
in ferro si-
mitem i-
gnem &
vim, sed
communi-
cat propri-
am.

Alteratio
ferri est i-
gnis parti-
cipatio.

E

ri neq-

ri nequeat, participata vi urendi, ipsum
 ignem participatum esse oportet. hoc igne
 iterum per atomos evanescente, ferrum ad
 naturalem & actualem redit frigidita-
 tem. Constat igitur, ferrum, æs, aquam,
 aërem, lapidem, quia unita (per syndya-
 sin) igni sunt, esse calida, vimque calefaci-
 endi ac urendi per communicationem propriae
 virtutis, non per effectiorem participare.
 Similiter corpus pars compositi, quia per
 unionem essentialem unitum est anima,
 animatum est per communicationem propri-
 arum potentiarum, non per derivationem.
 Idem asserit Aristoteles lib. 2. de Parti-
 bus Animal. c. 3. ubi ait ferrum, (aquam,
 carbonem, lapidem) non ut $\upsilon\pi\omega\tau\epsilon\kappa\epsilon\upsilon\epsilon\upsilon\upsilon\upsilon$,
 sed ut $\sigma\upsilon\upsilon\delta\upsilon\alpha\zeta\omicron\mu\epsilon\upsilon\upsilon\upsilon$, hoc est, igni unitum
 esse calidum, indeque proprium ignis cum
 ipso igne participare calorem. Estque hoc
 Aristoteli $\kappa\alpha\tau\grave{\alpha}\ \tau\alpha\ \theta\epsilon$ calidum subiectum,
 minime vero, ut Combachius detorquet,
 per impressam ab igni, & in ferro receptam
 affectionem & passionem, scilicet calorem.
 Nam qui calor in ferro, vel in aqua est, ignis
 est, contrario suo mistus. et, aqua fervens est
 ignis, non quatenus aqua est: sed quatenus
 ignita est. Scaliger exercit. 14.
 Ex his in primo argumento negatur mi-
 nor. siquidem vis lucendi & urendi mas-
 sæ ut ex utroque extremo compositæ, seu
 suppo-

Scaliger.

supposito tantum per denominationem
tribuitur, igni autem per inhaesionem, Resp. ad 2.
ferro per participationem. In altero pa. arg.
riter minor negatur. non producit ignis,
sed secum adducit induendo se penitus per
poros ferri calorem, vimque urendi. Et si
non ipse carbo, inquit experientissimus
Sennertus Hyp. 3. c. 1. de Atomis, qui
non movetur loco, ferrum ingreditur: ta-
men ignis, qui in carbone est, minimorum
corpuseulorum modo exhalat, atque in fer-
rum sese insinuat. et, ut flamma ingredi
possit duram ferri substantiam, non impedit
tenuitas, sed potius adjuvat. cum vero fer-
rum iterum refrigeratur, ignis rursus exha-
lat. qui etsi oculis corporis non cernitur, ta-
men ex effectu a Philosophis satis percipitur.
nec minus falsa est eius probatio. Ignis e-
nim non convertit ferrum in suam sub-
stantiam, sed ferrum recipit ignem suis po-
ris. In tertio argumendo committitur
primo ignoratio elenchi, cum non feriat
sententiam nostram. ipsi enim contem-
dimus calorem non migrare. 2. fallit
homonymia in voce communicatur. com-
municatio alia extrinseca, & effectiva,
alia per syndyasim datur. in priori
sensu conceditur, in poste-
riori negatur.

Dn. Sen-
nertus:

Resp. ad 3.

Theorema

V.

A Nima corpori non commu-
nicat potentias naturales & a-
nimalis sibi proprias, ita ut insint
in corpore formaliter, essentialiter,
habitualiter, subiective. l. i. de com-
municat. propriet. c. 13. th. 9.

Ergo

Potentia tales non communi-
cantur, seu migrant.

Hunc enim modum communicatio-
nis declarare necesse est: non vero an in
genere communicatio aliqua intercedat,
ibidem. nostra quæstio est de *tertio* ge-
nere communicationis, an quod anima est
essentialiter & formaliter, communicetur
corpori, in quo non insit essentialiter & for-
maliter. Demonstrent nobis hunc modum
communicationis Adversarij prius, & exem-
pli loco nobis erit. Verum ij ignotum
nobis declarant per æque ignotum, quod
ἀλογον est & sophisticum, thesi. 12. c. 13.

Rationes theorematis sunt hæ. 1. *Qua-*
cunque ab anima corpori communicantur,
illa in corpore formaliter, essentialiter, ha-
bitua-

habitualmente & subiective insunt. Potentie naturales & animales in corpore non insunt formaliter, essentialiter, habitualiter & subiective. ergo potentie naturales & animales ab anima corpori non communicantur.

Quid enim est datum esse aliquid, & communicatum alicui, idque possidere: nec tamen habere id ipsum essentialiter, formaliter, habitualiter, subiective? ubi ergo erit datum & possessum illud? Idea platonica forsitan, quam nunquam & nusquam esse clamitant, qui Platonem insectantur, thesi 5. c. 13.

2. Quae potentie non sunt in anima tanquam in subiecto, ea inde ab anima per unionem ad corpus non communicantur primo corpori, tanquam alteri parti compositi. Naturales & animales potentie non sunt in anima tanquam in subiecto. ergo ea ab anima per unionem ad corpus non communicantur primo corpori, tanquam alteri parti compositi. Ratio

majoris, quod in anima non inest actu, id communicare corpori non potest. minor constat. potentiae hae conveniunt anima ut radici & principio, & sic tantum ut potentia, quod ab ea produci possunt, lib. 4.

Phys. c. 1. q. 10. 3. Tertium argumentum, quo negat animam communicare sua propria corpori, ceu oppositae parti, depromit a diversa corporis acceptione.

E s

Nam

Communicatione potentiar. fieri per inhaesionem formalem in alio.

Vitales potentiae in anima, ut in radice & potentia.

Corpori,
ut est ge-
nus, & to-
tum po-
tentiale,
potentiæ
formaliter
& subiecti-
ve insunt,
per Comb.

Nam corpus accipitur duobus modis, vel. 1. ut est *genus* in prædicamento substantiæ directe ac per se. vel. 2. ut est altera *compositi pars*. priori modo, corpus est *ipsum totum compositum*, nempe *totum potentiale*, quod tanquam *animatum* per esse *vegetativum & sensitivum* distinguitur. eo modo ut corpus hoc formaliter est *animatum*, ita vires & potentiæ animæ extra controversiam omnem formaliter, habitualiter, essentialiter, subiective corpori conveniunt. sed hoc sensu similitudo corporis animati nihil ad præsentem controversiam facit. posteriori modo, anima contradistinguitur a corpore, tanquam pars a parte: quo sensu jam non dicitur, quod homo sit corpus, sed hominis corpus. Et hoc argumentum Adversario unum ex præcipuis est. vid. l. de communicat. propr. c. 13. p. 126. in Phys. l. 4. c. 1. q. 10. p. mihi. 776.

Refutatio.

Resp. ad 1.
argum.

CUM Adversarius de *extrinseca & effectiva communicatione*, quam migrationem propriorum consequi conceditur, disputet, neque theorema nostræ officit sententiæ, neque probatio. Hinc illa primi argumenti maior *vera* quidem est de
est de

est de *communicatione*. 1. κατὰ μέθεξιν. 2. *effectiva*. 3. *formali*. falsissima autem de *communicatione κατὰ συνδύασιν*. hæc enim non requirit inhesionem formalem & subiectivam in participante, sed veram realemque duntaxat competentiam ac participationem. Quare nullæ sunt istæ consequentiæ. datum est. ergo migravit, formaliterque ac subiective inhaeret. possessum est. ergo formaliter, habitualiter & subiective habetur. anne genus de specie per speciem negatur oppositam? anne species speciem tollit? ecquid sani infer, si infer: non est *communicatio per inhesionem, nec per effectionem*. igitur non est *communicatio*. residua est enim illa per *syndyasin*. ecquid rei obtines, si ita discurre: non est *communicatio per inhesionem*. ergo non est *communicatio per realem participationem*. Quid si pari jure adversus te contenderem, *proprietas generis non communicatur speciei per effectionem*. igitur neque *communicatio est, neque communicatio per μέθεξιν*. Requiris tamen, ubi datum? ubi possessum sit illud? non nusquam, ut tu clamitas. Verum in *communicante πρώτος*, in *participante δεύτερος*: in *anima formaliter & subiective*: in *corpore per veram & realem participationem & usurpationem*.

Communi-
nicatio
κατὰ συν-
δύασιν
non effe-
ctionem,
nec inha-
sionem,
sed veram
participa-
tionem po-
stulat.

Resp. ad 2.
argum.

Corpus
pro com-
posito ef-
fentiali.

Denomi-
natio ani-
mati.

Ad *secundum* argumentum cuius con-
tradictorium supra sufficientissime de-
monstratum est, sequentia accuratissime
distinguenda videntur. 1. *corpus*. 2. *deno-
minatio*. 3. *anima opera*.

Corpus quod attinet, id hoc loco capi-
tur vel pro *composito essentiali*, quod spe-
ciali nomine vocatur *animatum*, cuius
species sunt *planta, bestia, homo*, hac no-
tione corpus includit *animam*, ceu *formam* ;
& *corpus*, ceu *materiam*, scilicet partes ef-
fentiales, e quibus constat, & in quas
dividitur. quarum partium *corpus*, est
pars *animati*, non *animæ* ; est *instrumen-
tum animæ*, non *animati*.

Deinde idem *corpus denominatur ani-
matum ab anima* (parte formali, & essen-
tiali) *potentiarum inhesionis unico subiecto*
από τῆς ἀνίμης, a corpore (parte materiali) *poten-
tias animæ participantis δυνάμεις* : nullo
modo ab immediata & adæquata poten-
tiarum inhesionis subiectivæ. Sicut *corpus*
in genere denominatur a *materia* potius
corpus quam a *forma*, ut indicant affecti-
ones, quantitas, divisibilitas, quæ ma-
teriam sequuntur : *mixtum* magis a *mi-
scibilibus*, quam a *forma* specifica. Itaque
corpus pro *composito essentiali physico*
sumptum ut sit, de sententia Adversarij,
*potentiarum immediatum & adæqua-
tum*

tum inhæſionis *ſubiectum*, non ſufficit
unio anime & conjunctio cum corpore,
 eſſentiali parte; non ſufficit *origo facul-*
tatum ab anima; non ſufficit *denominatio*
a partibus: ſed præter has, quas ſuppo-
 nit conditiones, neceſſaria inſuper eſt,
potentiarum in eadem anima actualis &
formalis inhæſio. Alias intellectus non
 minus corpori, ceu composito eſſentiali,
 nimirum *hòmini* inhæreret, refragante
 Combachio, atque ipſæ potentiæ natu-
 rales & animales, vid. in Antid. c. 16.
 p. 83.

Corpus pro
composi-
to eſſenti-
ali denomi-
natur ani-
matum ab
inhæſione
potent. in
anima.

Vel ſumitur pro *composito integrali*,
 quod ſpeciatiim dicitur *diſſimilare*. hac
 acceptione *corpus* complectitur partes
quantitativas, ſeu *materiales*, excluſa a-
 nima, ceu forma. unde etiam *totum*
quantitativum appellatur. Atque hujus
corporis partes, ſcilicet *organa*: radix, me-
 dulla, caro: oculus, auris, &c. ſunt præ-
 ciſe ipſius *totius integralis heterogenei*.
 h. e. *corporis*, non *anime*, non *animati*.
 tametiſi id ipſum corpus cum ſuis parti-
 bus non aliud ſit quam anime instru-
 mentum, pars autem animati. Hoc cor-
 pus a partibus diverſæ eſſentiæ, nempe
 diſſimilaribus denominatur *diſſimilare*;
animatum autem, ut dictum, a vera &

Corpus
pro com-
posito in-
tegrali.

denomina-
tur ani-
matum a
vera po-
tentiar.
participa-
tione.

E s

reali

reali communicatione & participatione potentiarum animæ, nequaquam ab earundem inhesionem.

Animæ opera alia ab essentia animæ resultant, alia per facultates ex corpore seminis, alimentis, sanguine efficiuntur

Animæ opera sunt duplicia, alia quæ immediate ac intrinsece ab animæ essentia resultant, alia, quæ ab anima, medijs facultatibus, ex corpore seminis, vel alimentis, vel sanguine, & ceteris efficiuntur. Illa sunt potentia & proprietates, de se ut ipsa anima, immateriales, quantitatis exsortes, indivisibiles, incorruptibiles, ab anima inseparabiles. hæc sunt effecta in corpore corporea, quanta, divisibilia, corruptibilia, separabilia ab animæ essentia & facultatibus. veluti sunt organa corporis, spiritus, sensationes. illa ab anima generante seu multiplicante cum ipsa anima oriuntur, & ad animæ naturalem statum, perfectamque in ratione principii absolutionem tendunt ac pertinent. hæc anima in corpore efficit: & animam in naturali suo perfectoque statu constitutam in alio subiecto (corpore scil.) consequuntur. Illa ab extrinsecis subiecto, obiecto, medio, propinquitate inter agens & patiens, libera sunt. hæc ab eisdem dependent. illorum ope Anima hæc præstat, corpus vivificat, informat, conformat, conservat, naturales & animales ei operas efficit.

ficat. *Illæ animæ inhærent. hæc non inhærent.* Ex quibus & illud sequitur, quod ejusmodi *facultates non sint formales effectus animæ.* His bene observatis, constabit non modo Adversarij sententiæ falsitas, sed & nostræ assertionis veritas. Id quod hac *argumentatione ostenditur. Facultates efficiuntur & insunt in corpore, vel ut est compositum, vel ut pars. non ut compositum. hoc enim esset vel essentialiale, vel integrale. non essentialiale.* quia juxta Combachium in anima nec efficiuntur, nec inhærent. at quod in utrisque partibus essentialibus tam in anima, quam in corpore neque efficitur, neque inhæret, quomodo in corpore ut composito essentiali adæquate inerit? estne compositum sine altera parte adæquatam subiectum inhæsiōnis? sane ut non est adæquatam totum sine parte essentiali (anima); sic neque subiectum adæquatam potentiarum, nisi anima pariter inhæreant, *corpore* autem ut parti per participationem convenient. numquid intellectus & voluntas, quod tu recte negas, cum animæ insint, non etiam corpore ut parti, propterea corpore ut composito essentiali, videlicet, homini primo & adæquate inhærebunt? non *in corpore, ut est*

Facultates non sunt formales effectus animæ.

Facultates corpore neque ut essentiali, neque ut integrali composito inhærent.

est *compositum integrale*. nam hoc licet sit totum in ordine ad suas partes integrales, quia vero nihil aliud est quam pars animati, animæ autem contradistinctæ instrumentum, in eo neque producit anima, secundum Combachium, potentias, neque in eodem inhaerent. hoc ipso, quod non est essentialis compositum, sed essentialis compositi pars, cum igitur facultates corpori neque ceu essentiali, neque ceu integrali inhaereant composito, & tamen sint in corpore, inevitabiliter sequitur, eas esse in corpore, ut parte. Et cum in eo non sint per efficientiam extrinsecam, quæ resultantiam ipsarum ab anima naturalem tolleret, nec per inhaesionem, quæ duo inhaesionis subiecta importaret, erunt in eodem per participationem, seu communicationem. quod erat demonstrandum.

In 3. argumento conceditur, quod corpus alias pro genere, alias pro parte sumatur. sed contra controversiam ea distinctio affertur. non enim hic accipitur *animatum corpus*, quatenus per esse vegetativum & sensitivum distinguitur, tanquam genus per suas vel species, vel differentias: sed quatenus per animam & corpus, partes physicas dividitur, tanquam
 compo-

compositum & totum physicum. Atque sic corpus est animatum, & vires ac potentia anime extra controversiam corpori conveniunt, id quod tibi largissime damus; sed anime formaliter, habitualiter, essentialiter, subiective. h. e. per efficientiam & inhaesionem; corpori ut parti per communicationem: corpori ut composito per denominationem intrinsecam ab utraque parte. utrum vero in hac controversia pro genere & toto potius, quam pro parte capi debeat, merito dubitatur, & accuratius disquiritur.

Animatum est corpus. hæc præpositio varie accipi potest. 1. ut sit generis de specie. ubi animatum species, corpus genus. 2. ut sit generis de differentia, in concreto. sic animatum differentia erit, corpus genus. 3. ut sit totius de parte. ita corpus totum est, anima pars. 4. ut sit partis physicae de parte physica, in concreto. quo pacto, anima forma erit, corpus scilicet organicum, materia.

Contra, hæc propositio: *corpus est animatum.* erit 1. speciei de genere. 2. differentia de genere 3. partis de toto 4. partis de parte. His explicatis, ad eas descendendo propositiones, quæ propius spectant controversiam.

Animatū est corpus, varie capitur.

Corpus

Corpus est
vi vege-
randi præ-
ditum.

Corpori
ut parti
per parti-
cipationē
facultates
convenire,
predicati-
one com-
municati-
one, ab-
stractione
ostenditur

Corpus est facultate vegetandi, sentiendi, ridendi præditum. Inest huic propositioni veritas, non quia facultates ejusmodi corpori ut generi, toti, & composito formaliter, essentialiter, habitualiter ac subjective conveniunt; sed quia corpori ut parti physicæ per participationem, propter unionem animæ cum corpore organico, sunt tributæ. quod sic ostendo. Corpus in illa propositione aut genus est, aut species, aut totum, aut pars. non genus. sic enim. 1. omne corpus ridendi, sentiendi, vegetandi virtutibus polleret. quod enim generi, idem omnibus speciebus inest. intellige propria & attributa per se, & realia. 2. quia ut genus est extra differentias suas, nempe corpus tanquam animalium extra esse vegetativum & sensitivum: animal extra rationale & irrationabile: Ita nec potentias vegetandi, sentiendi, ridendi, quæ in sequuntur differentias, primo ac formaliter possidet. Idcirco quod & ipsa generum abstractio & communicatio porro docent. quemadmodum quæ in anima & ab anima cujusque viventis specifica est primum esse, seu ratio animata; ibi deinde proprietates communes & propriae veluti in anima & ab anima rursus esse, ac ratio planta, & vis tum vegetandi cum pellentibus

di

di venenum: in anima & ab anima equi esse
 ac ratio animalis, & prater facultates vege-
 tandi & sentiendi, hincibilitas: in anima
 hominis & ab ea esse & ratio animalis, vi-
 resque vegetandi, sentiendi & ridendi: ita
 ab eadem anima cujusque viventis specifica
 esse & ratio generum, horumque proprio-
 rum, quæ super esse ejusmodi, atque proprie-
 tatibus fundantur, operatione mentis præcisi-
 va & comparativa abstrahuntur; non præci-
 se a specie & singulari, nisi quatenus species,
 vel singulare, ut totum ab istis facultatibus
 denominatur: non a materia & corpore,
 nisi quatenus corpus ut pars in unione
 participat dictis facultatibus. non speci-
 es, videlicet ex animato & corpore logicis
 partibus composita. i. quia corpus est
 potentijs vegetandi, sentiendi, ridendi
 dotatum, non quia quoddam torpus, nem-
 pe species, planta, animal, homo. sed
 quia corpus ut genus, ceu pars logica, vel
 cū animato facultate vegetandi prædito,
 tanquā differentia plantæ; vel cū animato
 potentia sentiendi, velut differentia ani-
 malis; vel cū animato virtute ratiocinan-
 di, seu rationali, utpote differentia homi-
 nis jungitur. atque sic corpus est pars lo-
 gica, nimirum genus, & facultates istæ,
 quarum singulæ a differentijs proma-
 nant,

Ratio ge-
 nerum cū
 proprijs
 non a spe-
 cie & sin-
 gulari præ-
 cise, sed ab
 forma & a-
 nima spe-
 cifica ab-
 strahitur.

nant, eisdemq; subiective insunt, corpori competunt non nisi per participationem. 2. quia ista *predicatio*, vel *prædicationes* non sunt *per se*, sed *per accidens*. 3. quia non sunt *reciproca*. at *propria speciei* ut *insunt*, sic *prædicantur de specie*, propter differentiam, *per se & universaliter*, ut notum est. Non *totum compositum*, seu *species* id sit *ima*, vel *subalterna*. e. g. *planta*, *animal*, *homo*; seu *singulare* sub *certa specie*. v. g. *hoc*, *istud*, *illud corpus*, *nimirum*, *hæc planta*, *hoc animal*, *hic homo*. 1. quia *Adversarius* pro *toto* ut *genere*, non pro *specie*, non pro *singulari* depugnat. vid. l. de *communicat. prior.* c. 13. th. 9. p. 126. *Physic.* l. 4. c. 1. p. mihi. 776. alias non negatur tali sensu accipi posse. 2. quia istæ *propositiones* rursus forent *per se*, & *respectu speciei reciproca*: quæ tamen *omnes* sunt *per accidens*. 3. quia *intellectus* in iis, *audito corpore*, non fertur in *totum* ut *speciem*, nec in *totum* ut *singulare*.

Ergo *corpus* necessario sumitur ut *pars physica*, tanquam *corpus organicum animæ oppositum*: facultatesque hæc quemadmodum *corpori organico* per *participationem* ob *unionem animæ cum corpore organico* conveniunt, ita *de eodem* affirmantur. quæ *propositiones*

nes

nes in has perspicuas, quas significant
 obscurius, resolvuntur. *Corpus organicum*
humanum est visibile, propter unionem
cum anima rationali. Corpus organicum
animale (& cuique speciei proprium) est
sentiendi facultate præditum, ob unionem
cum anima sensitiva. Corpus organicum
plantæ (et cuiq; speciei propriū) est potētia
vegetandi ornatum, quia conjunctum cum
anima virtute vegetabili dotata. quæ in
his fundantur, & inde fluunt. Corpus or-
ganicum humanum est animatum anima ra-
tionali, & contra. Corpus organicum ani-
male est animatum anima sensitiva, & vice
versa. corpus organicum plantæ est anima-
tum anima vegetandi. In his quemadmo-
 dum pars de parte enunciatur: ita in istis
 proprietas partis de parte, propter ani-
 mam, cui proprietas formaliter, essenti-
 aliter, habitualiter & subiective inest,
 effertur per participationem. Hinc cum
 abstractioni generum, & quæ genera
 consequuntur, priorum respondere
 oporteat communicationem, si genera
 speciebus propter μέθεξις, & communica-
 tam essentiam sua communicant propria,
 pari necessitatis jure formæ & animæ
 corpori, ut parti proprias, propter syndya-
 sin.

*sin, communicatamque formæ ac animæ essen-
tiam, communicabunt facultates & vi-
res. Atque sic præfidenter inficienti, &
intemperanter exigenti D. Combachio
tertium communicationis modum in ipsa et-
iam natura esse fundatum, nature exem-
plis abunde ac luculente demonstravi-
mus: contrariorum argumentorum in-
victa, ut gloriatur, momenta solide refu-
tavimus. Regi sæculorum immorta-
li, invisibili, soli Deo honor
& gloria in sæcula sæ-
culorum, Amen.*

Errata.

- pag. 16. l. 3. contradicit. leg. contradicit.
pag. 26. l. 18: celesti. leg. cælesti.
pag. 28. Nicolaus. leg. Nicolum.
pag. 31. l. penult. usurpationem. leg. opera-
tionem, et ex majori adde. ad communem affe-
ctionem & usurpationem immediate communi-
niscat.
pag. 35. l. 26. separatim. leg. separatam.
pag. 49. lit. ult. ἔχων. leg. ἔχουσα

F I N I S.

nes in has perspicuas, quas significant obscurius, resolvuntur. *Corpus organicum humanum est visibile*, propter unionem cum anima rationali. *Corpus organicum animale (& cuique speciei proprium) est sentiendi facultate praditum*, ob unionem cum anima sensitiva. *Corpus organicum plantæ (et cuiq; speciei propriū) est potētia vegetandi ornatum*, quia conjunctum cum anima virtute vegetabili dotata. quæ in his fundantur, & inde fluunt. *Corpus organicum humanum est animatum anima rationali, & contra. Corpus organicum animale est animatum anima sensitiva, & vice versa. corpus organicum plantæ est animatum anima vegetandi.* In his quemadmodum pars de parte enunciatur: ita in istis proprietates partis de parte, propter animam, cui proprietates formaliter, essentialiter, habitualiter & subiective inest, effertur per participationem. Hinc cum abstractioni generum, & quæ genera consequuntur, priorum respondere oporteat communicationem, si genera speciebus propter μέθεξις, & communicatam essentiam sua communicant propria, pari necessitatis jure formæ & animæ corpori, ut parti proprias, propter syndyasm.

sin, communicatamque formæ ac animæ essen-
tiam, communicabunt facultates & vi-
res. Atque sic præfidenter inficienti, &
intemperanter exigenti D. Combachio
tertium communicationis modum in ipsa et-
iam natura esse fundatum, natura exem-
plis abunde ac luculente demonstravi-
mus: contrariorum argumentorum in-
victa, ut gloriatur, momenta solide refu-
tavimus. Regi sæculorum immorta-
li, invisibili, soli Deo honor
& gloria in sæcula sæ-
culorum, Amen.


Errata.


pag. 16. l. 3. contradicit. leg. contradicit.
pag. 26. l. 18: celesti. leg. cælesti.
pag. 28. Nicolaus. leg. Nicolum.
pag. 31. l. penult. usurpationem. leg. opera-
tionem. et ex majori adde. *ad communem affe-
ctionem & usurpationem immediate communi-
nicat.*


pag. 35. l. 26. separatim. leg. separatam.

pag. 49. lit. ult. ἔχω. leg. ἔχου

F I N I S.







Ung IC 1812

ULB Halle
002 387 93X

3





7A-70L

VD 17

Z

20 11





B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

QUINDICIAE

21

TII GENERIS
COMMUNICATIO-
NIS,

*us sophisticaciones Johanna-
bachij Theologiae & Philo-
Professoris ordinarij in
Academia Cassellana,*

ibus Philosophiae Naturalis fun-
entis deductae, ac lucu-
lenter expositae,

A

ORGIO BACHIO
Gymnasiarcha,

ARGENTORATI

JOHANNIS ANDREAE

M. DC. XLI.

